DISPUTATIO ACROAMATICA

DE

CHYMIATRIA SUPERSTITIOSA,

Quam

Speciminis loco

Eruditorum, maxime Philiatrorum,
disquisitioni subjicit,

& ita

prudentem præcautionem
commendat

Johannes Jacobus Rock,
Physicus Gelhusanus.



BUDINGÆ,
Typis Joh. Frid. Regelein, Typographi Isenburg. Aulici.
Anno MDCCXIIX.

IMPERII ROMANI
Liberæ Civitatis
GELHUSANÆ
SENATUI GRAVISSIMO
VIRIS SPECTATISSIMIS
Fautoribus atque Amicis honoratissimis,
tanquam specimen inaugurale
Physicatus ab ipsis sibi demandati, eo, quo par est, honoris cultu offert ac dedicat
hanc Chymico-Medicam dissertationem
JOHANNES JACOBUS ROCK
Poliater Gelhusanus.



I. N. J. C.



Nter omnes leges præceptaque, quæ in S. literis nobis proponuntur, illud maxime freqvens est, iteratisque vicibus cum plurimis annexis pœnis repetitur & renovatur, quod loquitur de Idololatria & *superstitione*, quippe quod etiam primi statim *Decalogi* præceptis fuerit subjunctum. Cum enim DEUS omniscius indolem istorum vitiorum, quæ hominum animos a vera ejus cognitione legitimoque cultu abducunt, perspectum haberet, & simul etiam intellectus nostri imbecillitatem, voluntatis depravatæ malitiam, quippe quæ, uti & ille, maxime in ista vitia abduci se patiuntur, depræhenderet: tum profecto necessum erat, ut istam legem severe promulgando, repetitisque vicibus animis nostris instillando, corruptæ nostræ naturæ consuleret, ne in istius generis impietatem delaberemur, atque ita à vera pietatis cultusque divini via deflectentes & summo impetu in vitiorum Syrtes scopulosque irrumpentes, æternum periremus.

Quemadmodum igitur bina illa vitia cognatione quasi aliqua inter se connexa tantopere in rebus divinis & ob frequentiam & ob mortalitatem quasi eorum detestata & prohibita fuerunt: Sic optandum esset, ut eædem doctrinæ in aliis *artibus scientiisque* non solum ab earum Magistris & quasi Præsidibus discentium animis instillarentur, sed etiam ab ipsis cultoribus omni studio atque cura observarentur, quo eo felicius detrimenta, quæ larga copia ab iis profluunt, averſarentur.

Ac ne quis hæc ita dici forte miretur, imo jure in dubium vocanda esse existimet, quæ modo de Superstitione in artibus scientiisque pœne omnibus culta protulimus: producemus quænam in medium, quæ assertionem reddant illustriorem. Neque vero in aliarum scientiarum messem, qvam superstitionibus satis largam esse nullus dubito, manum meam im-

mittam, maxime cum noſtra in *arte Medica* ſeges non minus fertilis ſit, imo etiam ob ubertatem improbum admodum conſtantemque laborem requirat, quem ego quidem vix aggredi audeo, nedum exſuperare confido, præcipue cum multorum doctorum aſſidua diligentia vix voti ſui fuerit reddita compos. Nihil enim dicam de ſuperſtitioſis phantaſmatibus, quæ in cerebello *Anatomicorum* gignuntur, cum in ſuis theatris omnibus pœne in corpore humano oberrantibus vaporibus & atomis ſingulares ſuos tribuunt ductulos, capſulas, receptacula &c. imo de illarum ſubtilis inventionis laude tanquam pro aris & focis depugnant; & quæ ſunt ejus farinæ alia: attamen, qvum ad rem, ad obſervationes medicas, ventum eſt, tum nulli viſuntur meatuli, nullis tum ductibus opus eſt, tum natura ſibi perquam facile canales fabricare poteſt, & viam commodam præparare; tum non erubeſcunt, probe etiam re conſiderata, pronunciare, ſanguine à ſinu priore rupto in ventriculos cerebri profluere & hinc per os cribriforme in nares & fauces prorumpere, item empyemata thoracis vomicasque hepatis per vomitum, alvum & urinam excerni, & quæ alia miracula ſunt, quæ ab artificioſiſſimo ipſorum Archeo proficiſcuntur. Nihil dicam de ſtatuis Idololatricis, quas in *Phyſiologicis* erectas videmus, dum unus ad Archei pedes ſupplex devolvatur, alter non binis tantum, ſed pluribus regibus & dominis microcoſmicis inſerviat & obtemperet, alius à glandula Carteſiana imperium expectet, alius ignem ſacrum cordis vitalem adoret, alius balſamo vitæ animum obliniat, alius rotulas ſculpat & fabricet, & quæ ſunt ejus generis alia Numina Phyſiologica, quæ à Neotericis adorantur. Quid dicam de Superſtitione in *Pathologicis*? Hæc ſane longe craſſiſſima deprehenditur non tam apud Veteres, qui, uti Viri doctiſſimi & prudentiſſimi, nil niſi quod ad ſolidam artem Medicam pertineat, inquirere ſollicite ſtudebant, theoreticarum ſubtilitatum incurii erant: quam recentiores, qui in inveniendis fabuloſis ſuperſtitioſis ejusmodi Phantaſmatibus longe feliciores ſunt, dum quicquid forſitan per inſomnia occurrit, & in ſenſoriis ipſorum tornatum circum volvitur, illud pro firmo Pathologiæ fundamento, pro criterio veritatum omnium examinandarum, pro lapide lydio, pro infallibili hypotheſi, ad quam omnia phænomena omnesque circumſtantiæ neceſſario referri debent, (quæ non poſſunt, aut omittuntur tacite, aut ultra intellectum humanum eſſe excuſantur) in medium projiciunt & univerſo foro Medico obtrudunt. Nolo hic recenſere αἰτιολογίαν ipſorum æthercam, aëream, chymicam fermentativam, efferveſcentem, acidam, alcalinam &c. quibus multorum libri abunde ſcatent. Exempli ſaltem loco poterunt eſſe Febres, quarum doctrina

ctrina opinionum schismatibus superstitiosisque næniis penitus fere obruta est, ita ut apud Veteres multos nil nisi intemperies calidi innati, per peregrinum adventitiumque oppressi, humidi radicalis subjugatio &c. apud recentiores vero fermentationes actuales, fermenta sylvestria, peregrinum ætherem in se continentia, spumescentiæ, turgescentiæ, calor â flammula vitali auctius pabulum nactus, aut â sylvestribus spiritibus, aut â poris sanguinis obstructis excitatus, & quæ alia plura ejus modi commenta audiuntur. Quanta itaque in Pathologicis adhuc dum â recentioribus colantur Idola, quilibet non ex paucis hisce tantum, sed ex plurimis aliis facile percipere potest. Unde etiam aperte deprehendi potest ex tali pathologiæ *therapiam* & praxin pariter monstrosam prodire, de quibus si pauca saltim dicere vellem, longissimum foret. Sic et in *Chirurgicis* magna talis modi phantasmatum seges est, nec ibi desunt particulæ fulcatæ, acuminatæ cuspidatæ, hamosæ, ramosæ, aut alio modo figuratæ, item salino-alcalinæ volatiles, acidæ, arsenicales & aliæ, quæ in diversitate humorum per discrimen solidarum explicandum, commoranda supponuntur & inferuntur. Quæ vero quantaque in *Chymicis* alitur superstitio? Quanta ibi idola venerantur nostrates in pharmacis eorum universalibus famigeratissimis, præstantissimis, præsentissimis, efficacissimis, penetrantissimis, Morbos pertinacissimos sævissimosque egregie domantibus, divinis cæloque delapsis, & quâ alia superlativa hyperbole stipatis? Hæc vero tanta & tanta remedia, si ad experientiæ rationisque calculum revocentur, si medio die lucerna etiam Diogenis quærantur, disparent, ne umbella quidem remanet, & ita ægri & ægrotantes Medici falluntur, qui ne positivum virium superlativarum Theoreticarum gradum in Praxi conseqvuntur.

Quod postremum superstitionis genus præ superioribus improbandum & detestandum mihi videtur, cum multa gravissima damna & mala sæpe lethalia inde resultent. Neque vero innuo solum his verbis Empiricorum superstitiones circa medicamentorum suorum efficaciam conspicuas, quæ longe maximæ sunt; sed l. maxime illorum hic tango, qui magni chymiatri & à se ipsis & ab aliis putantur, quique rem non acu solum, quod dici solet, sed mentis acumine se tetigisse arbitrantur, dum contra maxime rebelles humani corporis morbos ê fonte Chymico potentissimas panacæas (titulotenus tantum ita insignatas) depromunt, easque magno hiatu multisque ostentationibus aliis etiam objiciunt, qui ipsi creduli avide & ambabus manibus umbram Junonis amplectuntur. Quantis enim laudibus; quantis encomiis therapevticis in lucem olim proditæ sunt magnæ panaceæ metallicæ solares, lunares joviales &c. specifica, antihectica, antifebrilia, bezoardica &c. quæ si promissis responderent, sane nullus Morbus ita sæ-

vus foret, quin ille non facili negotio his cuneis possit supprimi? Quam vero tecte antea, & ne fraus illico pateret, ænigmatibus, hyeroglyphicis figuris &c. obtegebantur & involvebantur? Quam ardentissimo desiderio quæritabantur imo emebantur? Ast Parturiunt montes, nascitur ridiculus mus. Quod si enim, ut antea dixi, paullulum ad lydium experientiæ, ne dicam rationis, lapidem examinentur: tum certe omnes illæ panaceæ evanescunt, & deprehenditur, quam grandi & Inventores illorum & Asseclæ & admiratores errore, fuerint decepti & ad huc dum decipiantur.

Sed plura de his, quæ postremo dixi, de insigni videlicet hac *Chymiatrorum superstitionis* specie in medium proferre apud animum statui, & id efficere contendam, ut principio τὸ ὅτι assertioni meæ adstruatur, recensendo & examinando illas panaceas, quæ ansam superstitionibus talibus præbent. Postea etiam τὸ διότι causasque hujus superstitionis quasi geneseos scrutabor. Ac denique detrimenta, quæ exinde propullulant, ostendam.

Antequam autem hoc fiat, & ad rem ipsam accedam, benignissimum Numen supplici prece veneror, ut pro sua divina clementia atque bonitate hoc institutum in sui nominis gloriam feliciter evenire jubeat.

Primum itaque, missis illis, quæ ad superstitionis tum in genere tum in specie Medicæ significationis explicationem Philologicam & Philosophicam forsitan pertinere videbuntur, missis, inquam, illis statim ad primum membrum accedamus, & producamus illa medicamenta compositionesque Chymico pharmacevticas, quæ dictam innuunt atque inducunt suppositionem. Occurrit itaque nobis *regnum* primum *minerale*, ubi composita & præparata varia in nostram veniunt considerationem. Simplicia enim speculationis potius Physicæ & Chymicæ sunt quam nostræ Medicæ.

Composita si intueamur, observantur tria eorum genera; unum terrarum diversarum; alterum lapidum; postremum metallorum; quorum multa, maxime vero ex iisdem producta & educta in usum Medicum trahuntur.

De *terris* varii generis medicinalibus nihil hic dicam, licet amplissimus pateret campus. Nam longum nimis foret, si eorum, qui communiter adscribitur, usum imaginarium, antipestilentialem, alexipharmacum, cardiacum &c. secundum seriem perstringere susciperem. Notum enim est accuratioribus Practicis, quam non solum non præstent atque exserant illas vires alexipharmacas, proprie & stricte ita dictas, sed quam magna detrimenta in morbis acutis malignis corpori inferant, qui & lethali sæpe eventu fuere edocti, quanta cura & studio illa eximia alexipharmaca tum

tem-

temporis ſint fugienda, cum neque alexipharmaco ſcopo ſatis faciunt, neque diaphoreticum finem conſequuntur, ſed contrarium plane ob adſtrictoriam ſtipticamque quaſi potentiam edunt effectum. Experimentum hujus rei, nimirum adſtrictoriæ, quondam inſcius harum rerum feci in proprio corpore, dum alterius laudatione & ſuaſu famoſum quendam pulverem alexipharmacum ex terris variis conflatum aſſumerem, regimine etiam ſudorifero admodum valido, quod operationem adjuvare dictitant, imperato: Unde non ſolum, plurimis licet ſtragulis obrutus & in fervore hypocauſti conſtitutus fuerim, nequicquam ſudoris prolicere potui, ſed illius loco tumores œdemotoſos, qui totum habebant corpus, contraxi. Atque hinc, ubi ex aliis multis, certi reddimur non ſolum efficaciæ iſtarum terrarum adſtrictoriæ, ſed etiam docemur, quam peſſimi eventus ſit uſus earum alexipharmacus, & etiam diaphoreticus. Perverſa enim prorſus ratio ac methodus eſt ad ſudores eliciendos, ad diapnæ blandæ habitum corporis diſponendum, in uſum vocare adſtringentia & regimen ſimul calidum adhibere: Unde in febribus acutis hujus generis pulverum, uti & illorum, qui ex vegetabilibus proprie ſic dictis alexipharmacis conficiuntur, uſus non ſolum effectum ſperatum ſuum non ſortitur, ſed & ipſas febres in alios graviores morbos F. lentam, hecticam, tumores hydropicos, areſcentias viſcerum &c. transmutat. Ergo videmus, quam vana admodum & periculi plena hæc de terrarum virtute antepeſtilentiali ſuperſtitio ſit, ut illa, quæ amplius de viribus earum ſpecificis tradidere, ſilentio hic prætermittam. Neque vero medicamenta ex illis producta, ut magiſteria, eſſentiæ &c. præſtantiores vires cardiacas fovent, dum neque has compoſitiones vis principiorum deſerit, quæ ceteras ſpecificas virtutes, ſi quæ adhuc laterent, & etiam alexipharmacas facile opprimit, efficitque, ut minus tuto iis in morbis acutis malignis fidere liceat.

Alterum mineralium genus ſunt *lapides* & nobiliores & ignobiliores, quorum magnus numerus in therapiam ſuperſtitioſe receptus eſt. Multa enim & magna ſatis de virtutibus illorum univerſalibus, amuleticis, magneticis, aſtralibus veteres prodidere, qui Cœlum ipſum proprietates ſuas ſpecificas in illos transfudiſſe ſibi perſuaſum habebant: Atque hinc, prout lumine perfectiore actionem cœli conceperunt, eo majores promere effectus, nec deglutitos modo, ſed geſtatos etiam cœlicas ſuas potentias in corpus humanum exſerere, præſentaneamque contra peſtem, venena & quoscunque Morbos pertinaciores opem ferre credebant. Hæc vero, uti & alia ejusmodi commenta, quantum ab experientiæ rationisque via declinent: & is facile in ea conſiderans deprehendet, & ab aliis ſæpius ad nauſeam usque eſt demonſtratum, ut id negotium jam in me ſuſcipere mini-

nime opus ſit. Paucis ſaltim hic loci notari poterit inſignis illa ſuperſtitio, quam veteres in animo circa *corallia* earumque *tincturas* varias alebant, quamque recentiorum multi adhuc fovent. Hinc ſimplicibus coralliis vires egregias in deliriis quibus vis, epilepticis convulſionibus, malignis, hyſtericis, dyſentericis affectibus adſcripſerunt, imo etiam ſi tincturam ex illis extrahi poſſet, illum auro pot. æquiparandam eſſe quoad vires exiſtimarunt. Ut igitur Sulphur coralliorum, quod rubicundo colore ea imbueret, intime recluderent & extraherent, relictis ramentis albicantibus, absque ulla tamen menſtrui corroſivitate, ut, inquam, hac ratione tincturam ex iis elicerent varia quæſivere menſtrua ex ſaccharo, melle, pane, manna, oleis deſtillatis, quorum ope quintam coralliorum eſſentiam, tincturam nempe rubicundiſſimam impetrarent. Sed cum poſteri colorem rubicundum non tam â φλογιςῶ coralliorum, ſed vel maxime â menſtrui oleoſitate & aciditate originem ſuam ducere animadverterent: cepit magna illorum ſpes de ſumma Medicina ſuſcepta labaſcere. Non tamen deſiſtunt ſubinde circa coralliorum ἀνάλυσιν inſtituere experimenta. Nonnulli tincturas rejiciunt & malunt nudam ſolutionem â ſubtili activo, naturæ non adeo adverſo, menſtruo factam. Qua de cauſa in affectibus nervorum, epilepſia, magni habent ſolutionem factam cum ſpiritu nitri d. Sed merito hic dubitandum, an nudum menſtruum non ſolum easdem vires poſſideat; ſed etiam præſtantiores, cum ſolutio illa ob adſtrictoriam potentiam, ab acido nitri & terra corallina leniter ſtyptica oriundam, merito ſuſpecta videatur, nec tota illa in dyſenteriis uti liceat. Pariter nec ratione nec experientia convinci poterit, quod ſolutiones ceteræ cum Spir. tart. formicarum, lignorum factæ quoad virtutes antiſcorbuticas, diaphoreticas &c. præferendæ ſint ſimplicibus eorum menſtruis, imo etiam dubitandum, an non potius horum efficaciam infringant, quam augeant. Idcirco ex his videmus, neque â Veterum tinctura corallorum, Sulphuris extractione, neque recentiorum nuda & ſimplici ſolutione tantum pharmacon ſperari poſſe, quantum ipſi promittebant, & quanta ſuperſtitio notetur, in lapidum nobilium æque ac ignobilium viribus definitis. Prout vero coralliis lenem tonicam cum abſorbente energia conjunctam efficaciam experientia tribuit: ita reliquis lapidoſis in medicinam introductis concrementis, maxime vero ſic dictis *nobilibus*, hyacintho &c. experientia concedit ſimilem uſum tonicum in ſudoribus, diarrhæis, hæmorrhagiis, maxime hecticorum moderandis proficuum. At archealem ſedationem, in turbis vitalibus eminentem, ut Archeus in iis veluti in ſpeculo gemmæ delectatus, uti exprimunt, confuſionis ſuæ oblivifcatur, non niſi in luſu comico admittere valeo.

In

In quantum vero quasi fastigium evecta sit Chymiatrorum superstitio circa *metallica*, unicuique facile patescet, qui eadem libero animo & accuratiore mentis indagine scrutari, contemplari, atque experientiæ rationisque criterio examinare velit. Ex infinito itaque illorum numero ea recensebo, quæ hodie adhuc famosa & multi usus sunt, & quid illis superstitiosi subsit, videbo.

Primum itaque *aurum* omnium metallorum nobilissimum communiter censetur, sive ob perfectiorem ejus mixturam, sive ob pretium civile, sive ob majorem influentiam solis, sive aliam ob causam. Qua de causa cum in rebus civilibus & communi vita tantum ejus usum viderent chymiatri: ceperunt etiam illud in usum medicum vocare, tam in substantia, quam in essentia s. tinctura, quæ auri pharmaca ob excellentes plane virtutes alexipharmacas confortantes &c. quos ab eis sperabant, ingentis apud nonnullos erant admirationis, & hodie adhuc multi summo cultu istud idolum aureum venerantur.

Simplicem auri *in globulis* usum Königius in r. m. magnæ & tantæ quidem efficaciæ esse in melancholicis & hypochondriacis dictitat, ut & magna eorum pars ab acido hypochondriacorum fuerit consumpta & felicissimus etiam effectus insecutus. Ast vero de veritate hujus experientiæ non immerito dubitandum est, cum minime pateat, qua ratione aurum, penetrantiam spirituum corrosivorum multorum respuens, ab acido melancholicorum, multis visciditatibus involuto, & tam diu sine noxa in primis viis latitante, potuerit corrodi, cum potius illud acidum prius in ventriculi substantiam, quam in auri corpus durissimum, vim suam exerere potuisset. *Solutionem* auri idem Königius & alii extollunt ad plures deploratos plane affectus debellandos, siquidem sulphur auri blandum a menstruo ventriculi extractum spiritus animales instar radiorum solis fovere & ferociam salium acrium domare putant. Deducit hanc operandi rationem Kön. ab anomalia menstrui ventriculi, humorum, & spir. animalium cum ipso menstruo auri, cum quo humores corporis nostri corrosivi & depravati conjuncti auri corpori sese applicent, partesque corporis animalis deserant. Sed sane corrosivitas illa spirituum, mechanica extractio sulphuris auri, anomalia menstrui auri acidi & cetera supposita cum valde sint suspecta; mirum non est, si & ipsum hæsitet assertum. Cum ita ab hac simplici & rudi saltim magnæ istius panaceæ usu & adhibendi methodo nullum chymiatri deprehenderent effectum: tum, ne spes omnis pereat, subtiliorem viam excogitare ceperunt, qua firmissimum auri corpus destruerent, quintamque ex illo essentiam extraherent.

Qua de causa non veteres solum ad menstrui appropriati & ad id opus

idonei inventionem omnem movere lapidem: sed multi adhuc inter neotericos ſpagyricos admodum ſolliciti ſunt, quo menſtruum aptum acquirerent, & tandem aliquando votorum ſuorum compotes redderentur. Multi hodiernorum Becherum aliosque Philoſophos Chymicos ſequuntur, qui ad verum aurum potabile & quintam eſſentiam in metallurgicis & in medicis utiliſſimam acquirendam rem magneſia auri rubicunda ſeu Sulphure & Mercurio aggredi debere præcipiunt: Igitur ſeſe rectæ viæ inſiſtere arbitrantur, dum craſſo plane modo Philoſophorum illorum Chymicorum ſenſum & mentem intelligentes, ſulphur & mercurium com. vocant in ſubſidium. Ubi vero quantum illi â via deflectant, facile ille, qui chymicum ſenſum percipit, depræhendet. Notum enim eſt magnum illud Chymiæ lumen Beccherum tres terras diverſi generis pro materialibus metallorum principiis firmiter aſſerere, quæ ſunt ſalino liquidoſa ſeu vitreſcens, ſulphureo pinguis, & metallico mercurialis. Harum primam vitreſcibilem, quæ maximam metallorum partem conſtituit, & matrix veluti eſt reliquarum, in omni fere terrea ſubſtantia latitare, etiam in acido univerſali abundare, exiſtimat; alteram differentiam coloris, ſaporis &c. metallis ſuppeditare, & in omni inflam̃abili, & ſale etiam nitri quærendam eſſe, maxime vero in ſulphure, cui laxiore & facilius reſolubili compage adhæreat; Tertiam vero mercurialem ſpecificam determinationem in metallicam denſitatem & ductilitatem corporibus ipſis metallicis conciliare, & maxime in argento vivo, & Sale com̃uni (quod experimentum de marte artificiali confirmat) eſſe reperibilem. Ex his itaque, ſi propius ad mentem Beccheri accedimus, manibus ſane palpari poteſt, quantopere illi in ſua quinta eſſentia auri aberrent. Quod ſi enim in nulla re amplius difficultas reſtaret, quam in nuda mixtione craſſiorum illorum corporum eaque tantum ſimplici; (uti exiſtimant) tum certe crederem, ipſos etiam conſtantius aliquid, quam quærunt, eſſe conſecuturos, dum non ſolum æquor rubineo colore imbutum ſint conſpecturi, ſed etiam cygnum, aurea corona ad litora evolantem depræhenſuri. Aſt vero an hunc finem, quem ipſi illi Chymici adſpirant, craſſo ſuo & rudi plane modo attingere poſſint: merito dubito, licet ipſi, inani voluptate capti, veram ſe auri quintam eſſentiam nactos eſſe profiteantur & glorientur. Subtiliora enim illa ſunt, quam ut ad tales duræ cervicis homines, ut ait Beccherus, pervenire queant. Quod ſi enim paulo emunctioris naſi eſſent, & fundamentum ſuarum operationum aliquali ſaltim ſtudio & cogitatione inquirerent: tum ſane intellecturos & depræhenſuros eſſe confido, quam præſtantius auri potabile tale & ſine magna difficultate & labore ex carbonibus elicere queant, ut adeo minime opus ſit, illa pretioſa aliisque uſibus aptiora ingredientia deperdere, ſimulque

ſum-

sumtuum & diuturnorum laborum facere jacturam. Rem ut exemplo illustrem, do duplicem casum, unum quo aurum pro sui reseratione cum cinnabari, uti mixto ex mercurio & sulphure, diu cœmentatur, & mixtum hoc postea cum alcali fusum a spiritu vini extrahi posse creditur: alterum, quo aurum cum hepate sulphuris vel antimonii, ut vitulus aureus, comburitur, & sulphuris hujus lac cum spiritu vini extrahitur, posteaquam prius abstractione ol. vini in resinosam solubilitatem fuerit redactum. Ibi tincturam alcalinam; hic vinosam prodire in aprico est. Noscitur in his alius error, quem pariter in Magistrorum, quos sequuntur, præceptorum perversa interpretatione & intellectu comittunt, dum ad mentem veterum Chymicorum pro menstruo solari spir. v. com. adhibent. Veteres enim, uti ipse Paracelsus, per essentiam vini, alcool vini, vinum essentificatum, & quo alio modo illud menstruum nuncupent, minime intelligunt ardentem spir. v. sed potius vinum, in spiritum acidum concentratum ac permutatum, quod in figendo, volatilisando sulphure metallorum peculiarem virtutem sortitur; de qua Paracelsus, Isaacus Hollandus, Viganus plura celebrant. Sit vero ita, concedatur, largiatur, affirmetur, aurum in liquorem irreducibilem esse resolutum, ipsosque artistas veram auri essentiam esse consecutos, cum hoc illis luce meridiana clarius appareat; Sit inquam ita; Quid tum? Qua enim ratione inde simul inferri poterit, ipsos simul panaceam divinam, quæ agonizantes e mortis faucibus eripiat, esse adeptos? Nondum enim ab ipsis ejus patronis attentis observationibus accuratisque experimentis demonstrari potuit maxime ille imensus, incredilis, inexhaustus, infinitus, præsentissimus, & quæ alia sunt elogia, in morbis quibuscunque desperatissimis effectus. Neque vero hac deficiente experientia rationes solidiores magnique ponderis adduci queunt, quæ Chymiatros istos ita pertinaciter idolo tali aureo agglutinent. Quid enim quæso auri nobilitas, pretium & charitas, perfectior mixtio ratione ceterorum metallorum, soliditas, difficillima destructio, influxus astrorum specificus &c. Quid, inquam hæc & similia alia facient aut conferent ad virtutem medicamentosam? Nihil sane video. Neque enim sulphur auri, etiamsi extrahi posset, stupendas illas vires exserere posse depræhendo, cum φλογιςὸν illud, quod auro inhæret, magis universale sit, omnibus metallis multisque aliis corporibus comune, uti superius notavi. At vero an illud unice tantas vires præstet, non possum non ire inficias. At vero inqviunt, se summa cum admiratione vires ejus analepticas observasse? Credo sane, si liqvor, quem menstrui loco adhibere solebant, confortantibus eximiis, aromatibus, ol. cinamomi, ambra, moscho &c. fuerit conditus, aut in se ipsis experimenta fecerint, aut iis subjectis propinatus, qvæ

vel ſacra tenet fames, vel qvæ ad phantaſticas tales impreſſiones animiqve imaginationes ab empirio diſpoſita ſunt, ubi incorrupti auri nitor & ſplendor plus ſæpe præſtare valet. At vero anne ita experientia facienda & haurienda? Anne ita obſervationes curativæ notandæ? Mihi ſane non videtur. Sed cetera, quæ hac de re amplius dici poſſent, prætereo. Pari ratione in alia medicamenta metallica diaph. auri, mercurium diaph. aur. Bez. aur. &c. magnam fiduciam poſitam eſſe videmus. Quoad *mercurium diaph. aur.* haud inficias ibo, eum bonum & efficax eſſe remedium in obſtructionibus aperiendis & aliis etiam affectibus, ubi medicamenta mercurialia ſolent indicari. Aſt vero an a pauxillo auri, cum qvo commaritatus eſt mercurius, virtutes ipſi adſcriptas, mutuetur, neque per experientiam liqvet, neqve ex rationibus Phyſico Chymicis deduci poteſt. Siqvidem per illam patet, qvod non ſolum ab eo præſtantior efficacia expectari poſſit, ſed ſimplex etiam mercurius ſine additione auri idem plane præſtet, id quod Chymiater Ludovicus teſtatur. Inferunt quidem hic Neotericorum multi ad uſum auri in mercur. diaph. adſtruendum & evincendum, dum exiſtimant, mercurii corpus per ſe alias exhibitum nimium virulentum draſticum eſſe remedium, qvod ſpaſmum in partibus nervoſis excitet, ſalivationes nimias, lympham potentiſſime coagulatam reſolvendo, producat, atqve ita nonnunqvam ſæviſſima mala progeneret: Hanc vero vim draſticam optime per aurum cicurari, mitigari, infringi poſſe, & ita feliciter illa ſubſecutura alias incommoda averti. Regero autem, ſi metuas minusqve tutum exiſtimes, uſum mercurii præcipitati a. ſublimati, aut alia encheiriſi parati, qvid opus eſt perditione auri cum ſecurior via propiorqve proſtet in mercur. d. aut aliis medicamentis mercurialibus? Aut cur non minuitur doſis? Sane enim res ſe non alio modo habere mihi videtur, ac ſi quis pro ſcopo leniter ſalivante, vel catharctico ſtimulante merc. ſubl. adhibere velit, ne vero ille noceat, eum æquali aut dupla portione auri reddere leniorem. Cauſam nullam ſciunt, neque ipſe reperio niſi hanc, quia ſumptuoſum forſitan eſt experimentum Chymicum. Ita delirant noſtri reges, ægri vero plectuntur. Præterea magnas quoque vires Chymicos tribuere *Bez. auri*, nomen ſolum indicare poteſt. Illud enim pro vero remedio alexipharmaco in morbis malignis, imo in omni morbo repentino præſtantiſſimo habetur, ut illius vires bezoardicæ omnibus aliis alexipharmacis vegetabilibus & animalibus jure præferri mereantur. Hic vero ipſos Chymiatros errare depræhendimus, cum conſideramus ipſius medicamenti præparationem, qvoniam non ſolum nihil de auri ſubſtantia participet (qvippe qvod neqve ab acido nitri diſſolvi, & in

cal-

calcem, uti reg. antimonii, redigi poteſt, neqve aurum etiam connubium inire ſolet reguli antimonii) & tum nihil aliud ſit qvam bezoard. min. hoc vero idem ac antim. diaph. verum etiam qvam perverſo plane modo bezoardici nomen efficaciaque affingatur. Licet enim ſudores ad ſcr.Sem. vel per ſe, vel cum aliis datus egregie moveat, quod & præſtat ſimplex mercur. diaph. minime tamen alexipharmaci καθ' ἐξοχὴν ſic dicti titulum in morbis malignis petechialibus tuetur. Præſtat itaque hic, uti & in pluribus aliis medicamentis auri, auro parcere, & potius, juxta ſententiam B. Ludovici, ex medicamentis aurum quam contra ex auro medicamenta concinnare.

Et hæc quidem de auro metallorum ſole. Oboritur alterum ſidus *luna*, quæ inter Chymiatros inſignis ſuperſtitionis præbuit anſam. Veteres enim huic metallo præſentiſſimos effectus antepilepticos, apoplecticos, magnos in omnibus capitis cerebrique affectibus, ob analogiam, quam inter ipſam lunam & cerebrum intercedere putabant, adſcripſere. Igitur multum illi ſolliciti ſemper fuerant, ut in commodam medicamenti formam redigerent. Apud neotericos licet craſſior illa ſuperſtitio de analogia lunari exulare videatur: nihil ominus tamen minime negligentiores ſunt, cum pariter omnem animi intendant nervum, ut aptas efficacesque medicinas lun. potab. bezoart. lun. &c. exſculpere & fabricare queant. In illo acquirendo multi eam viam, quam antiquiores jam premebant, omnium facillimam eſſe putant, eique etiam inſiſtunt, dum ex *luna tincturas* mediante ſpir. vini, ſpir. urinoſo vol. acuato, non aliter ac tincturam Ven. extrahunt. Imo eo magis læti de felici experimenti ſucceſſu ſibi gratulantur, cum ſe tincturam genuinam cœrulei pulcherrimi coloris conſecutos eſſe vident. Tribuunt ei magnum uſum in paralyſi, epilepſia, apoplexia, febribus malignis, omnis generis deliriis, quaſi illa ferociam ſalium in M. S. amplexu ſuo peculiariter ſoleat invertere, fibrillas cerebri roborare & ad decentem motum ſpiritus, quos ob menſtruum urinoſum ab acido liberat, uti loqvuntur, deducere. Quam parum vero horum votis reſpondeat effectus: teſtatur experientia, quæ nullum aut levem ab hac tinctura lunari, uti & ab aliis lunaribus pharmacis, promittit effectum. Neque vero illa modo dicta lunaris tinctura hoc titulo inſcribi meretur, cum ne momentum quidem de lunæ ſubſtantia a menſtruo fuerit ſolutum & omnis adhibita ad præparationem ex lunari calce reduci queat. Num itaque ab hac veneris ſolum ſolutione ſupra memorati effectus cephalici expectari poſſint, non facile quiſpiam harum rerum gnarus affirmabit, cum potius vomitus, nauſea, cardialgia, & alia incommoda obſerventur, qui perverſi venerei effectus in multis draſticas operationes & hinc confuſaneas abſtractiones ar-

chei a furoribus ſuis epilepticis in nonnullis ſubjectis relinquit, indeque per indirectum utilem, ſed morbo ſæpe periculoſiorem, exitum nanciſcitur. De *bezoart. lunari* eadem ſententia ferenda eſt, quæ ſuperius de Bez. auri lata eſt. Pari enim cum hoc paſſu ambulat. Neque enim quicquam de lunæ ſubſtantia, quæ neutiquam vel ab acido nitri arroditur vel in conſortium cum reg. antimonii abit, in ſinu continet, neque etiam ullos effectus proprie bezoarticos, ſeu alexipharmacos præſtat. Ergo neque hæc panacea lunaris inſcriptionis titulo digna eſt, & melius etiam eſſe cenſerem, ſi hoc metallum crumenis potius, quam deſtillatoriis includeretur, Ludovico ita judicante.

Conſiderationi medicamentorum lunarium ſubjicimus *jovialia*, quibus ingentes virtutes, quæ nihil tamen niſi ſuperſtitionem ſapiunt, a Chymiatris aſſertas eſſe videmus. Unde etiam hodienum & in pharmacopoliis & in Medicorum laboratoriis varias ex illo metallo paratas panaceas, ſpecifica, polychreſta &c. depræhendere licet, a quibus magnum ſolamen & infallibile auxilium & remedium in hecticis, phthiſi, morbis malignis, febribus intermittentibus, pleuritide, paſſionibus hyſtericis, colicis ſibi promittunt. Argumenta, quæ ipſos in hanc opinionem adduxere, varia depræhenduntur. Primum deducunt ab influentia joviali in hoc metallum, dum ipſum jovem omnes ſuas virtutes & proprietates majore cum potentia, quam ceteros planetas in productione & generatione hujus metalli, emittere opinantur, uti exiſtimat Faber in ſecretis chym. Alterum quærunt in analogia hujus metalli cum humido radicali; ſiquidem idem Faber aſſerit, jovem humidum radicale admodum homogeneum poſſidere noſtroque ſimile; unde facillime ejus vires & vigorem reſtituat. Aliud afferunt ab ejus mixtura; quam ratione reliquorum concretorum metallicorum temperatiſſimam pronunciat Baſil. Valent. Tr. von natürlichen und übernatürlichen Dingen / ut neque nimis calidum ſit, neque nimis frigidum, ſiccum, humidum, ſed ex his omnibus qualitatibus mediam poſſideat. Et ideo concluſionem ad ipſas vires idem auctor transfert, daß keine Kranckheit vorfallen kan / da Jupiter ein Verderben bringen könte / wann ſeine Artzney nicht überflüßig im Gewicht gebraucht wird; Cum potius ſalutaria ex eo proveniant medicamenta. Aliæ, quæ inſuper ad ſtabiliendam aſſertionem producuntur rationes, more phyſico chymico ſunt, & depromuntur partim a ſubſtantia ejus particulari inflam̃abili, partim mercuriali, partim terrea. Qui a portione joviali inflam̃abili operationis vires deducunt, dicunt, eam e medicamentis jovialibus menſtruo acido extrahi, vitriolaceam naturam induere & ita in ejus generis evadere concretum, quod craſſos viſcidos humores incidat, imo etiam volatilitatem bilis ejusque acrimo-

inomim figat & enervet, leni adſtrictione ebullitionem humorum ſiſtat, atque ita calori p. n. medeatur. Qui vero a parte ſubtilili mercuriali virtutes jovialium hauriunt, anomaliam hujus mercurii cum mercurio com. metallico, maximarum in medicina virum, proferunt. Qui denique a terrea portione argumentationem formant, illi quidem a viribus terrarum abſorbentibus incraſſantibus, adſtringentibus, tonum partium fibroſarum nimis relaxatum & labefactatum roborantibus &c. ad majores virtutes antihecticas, phthiſicas, alexipharmacas ratiocinantur. Hæ itaque & aliæ a Jovialibus Chymiatris adducuntur rationes, quibus ſuperſtitionem hac in re conceptam firmare conantur. Sed nulla earum tanti ponderis & momenti eſt in ſolida experientia & ratione, ut laudes infinitas, quas jovialibus tribuunt, poſſit tueri. Quod enim in primo & ſecundo argumento de proprietatibus & virtutibus jovialibus ſtanno comunicatis, deque anomalia humidi radicalis jovialis cum eo, quod eſt in noſtro corpore, afferunt, fabulam potius ſapit, quam rationem aliquam probabilem Chymico Medicam, quæ etiam jamdudum ut veterum aliquale figmentum eſt exploſa. De temperie vero principiorum, joviale mixtum conſtituentium, eorumque æquali mixtura & hinc profluente blanda temperata efficacia, quæ adducit Baſil. Valent. illa tum contra experientiam & rationem Chymico Phyſicam ſunt, tum quoque, etiamſi ipſum argumentum firmo ſtaret talo, nihil inde conſiderationi Therapevticæ accederet. Quod ſi enim elementa jovis expendamus: facile Baſilio aſſentiri poterimus, ſtannum, præter principium ejus terreum ſalinum (quod reliquorum matrix eſt) & φλογιςὸν, ex mercur. non ita copioſo, ſi reſpectus ad plumbui mixtum habeatur, conſtare, nec eo ita volatili impuro & incocto; non tamen fixo penitus, uti loqvuntur, ut cum perfectioribus metallis comparari queat, cum non ſolum c. ſale am. nitro, antimonio ſublimari queat, ſed & ſolum & cum antimonii regulo mixtum in auras abeat. Nequaquam igitur ea principiorum jovis temperata mixtura eſt, quæ in aliis mixtis metallicis, quæ perfecta vocantur, obſervatur. Imo ſi eſſet, non patet, quid exinde utilitatis medicæ redundaret. Quibus omnibus crucem quaſi figit, quod ſtannum in mixtione ſua metallica naturali & totali minime aut raro in uſum medicum vocetur, ſed ſi in calce prius fuerit redactum, ubi tamen & alterum principium φλογιςὸν & tertium mercuriale (in quo tamen nervus argumenti ponitur, utpote a quo metalli ipſius vires pendeant) deficit, quod patet, cum per ſe nunquam iterum in metallicum concretum redigi queat, ut & in aliis corporibus metallicis obſervatur, ſi iis quocunque modo duo illa principia, a quibus metalleitas dependet, ſunt ſublata. Ex his facile colligi poterit, quænam ſolutio futura ſit extremi argumenti,

quod

quod ſuperius attulimus, de ſpecifica quaſi & ſingulari principiorum jovialia operatione. Quicunque enim a portione ſtanni ſulphurea vires deducunt, illi ſeipſos decipiunt, dum illas in calce jovialia exuſta quærunt, quam tamen omni inflammabili ſubſtantia exutam & deſtitutam eſſe modo innuimus. Ergo nec illud aſſertum firmo innititur fundamento, cum ratio operandi jovialium medicaminum, a vitriolica earum indole (quam propter ſulphuream ejus partem cum acido ventriculi induunt) deducta, minus apte cohærere deprehendatur, ſiquidem, præter abſentiam ſulphuris, principiis Chymicis contrariari videatur ſpir. acidum c. ſulph. vitrioleſcere, ut illud ſuppoſitum de acido ventriculi prætermittam. Idem ſentiendum eſt de illis, qui in parte eſſentiali mercuriali vires & effectus prædictos jovialium ſcrutari & expiſcari ſatagunt, cum non ſolum ἀδύνατον ſit felicem pro voto ſucceſſum invenire, imo vero abſurdum plane in calce, in terra, illud metalli elementum, quod ſpecificam determinationem in metallicam compagem, mollitiem, ductilitatem &c. largitur, ſollicite quæritare. Tandem qui in tertio ſtanni principio, ſeu potius primo phyſico, ſubſiſtunt, & ab illo vires jovialium laudatas derivant, pariter errare videntur, cum a potentia & efficacia calcium jovialium abſorbendi, incraſſandi, adſtringendi minime ſequi poſſit, & actu ſequatur effectus ſpecificus antihecticus, antiphthiſicus, antipeſtilentialis &c. cum & eædem qualitates & aliis terrarum generibus ſint comunes, a quibus tamen pariter minime præſtantes illi effectus expectari vel poſſunt vel debent. Quamobrem neutiquam, in genere ſaltim chymico medice de joviali natura diſſerendo, ullo modo panacealis illa ſtanni univerſaliſque efficacia confirmari poteſt. Quod ſi vero ad ſpeciales rivulos, qui ex illo fonte dimanant, deſcendamus, ſingulaque ex illo producta medicamina perluſtremus: tum ſane nullus dubito, quin parem in quolibet imaginariam ſuperſtitionem notare queamus. Ita ſi famoſum ſpecificum *antihecticum Poterii*, Medici Bononienſis, non ſolum Chymice conſideremus, ſed etiam, quod maximum eſt, Medico Practice virtutes ejus adſcititias per experientiam attentaſque obſervationes exploremus: tum ſane non ſolum concepta ſpe inani decipiemur, ſed etiam intelligemus, quanta quanta illi homines phantaſia fuerint correpti, eaque multi adhuc, qui eam panaceam admirantur, detineantur. Paratur hoc ſpecificum, uti tradidit ipſe auctor atque inventor P. Poterius, ex p. 2. jovis & p. 1. antimonii, quæ mixta ſimul coqvuntur in aqua ſua hermaphroditica, ſeu, ut alibi ait, ex ſtella ſignata regis, cui benigna jovis præſentia adveniens balneas maris medio puro naturæ, paravit. Quæ deſcriptio cum nonnullis obſcura quodamodo viſa fuerit: Etnerus, magnus experimentorum & inventorum

Po-

Poterii admirator, arcanum revelare deſcriptionemqve clariorem ſtuduit reddere in manibus Poterianis, qn. reg. ex antimonii p. 2. & martis p. 1. ſtanni per ceram purgati p. 2. mixtas, liqvatione confuſas, cum p. 3. nitri, quod aquam hermaphroditicam autor nominat calcinare & a ſalſedine liberare jubet. Et hæc eſt deſcriptio magni illius ſpecifici Poteriani, quod multis ſuſpiriis, jamdudum exoptatum nec ab omnibus adhuc impetratum nuncupat idem Etnerus. Qvapropter magnam apud eos, qui ſine Poterii medicamentis ægros ſuos curare deſperant, gratiam ſe promeriturum eſſe ſibi perſuadebat, maxime quia divinum hecticis phthiſicisque auxilium id eſſe arbitrabatur. Verum enim vero qvicqvid de imenſa ejus virtute in morbis hepatis, pulmonum, uteri &c. pertinaciſſimis, maxime vero in phthiſi, hectica, febribus omnibus intermittentibus, & continuis, malignis, ad M. S. turbatam reſtituendam, temperandis humoribus ſalſis acribus ſcorbuticis &c. qvicqvid, inqvam, de præſtantia hujus remedii in his & aliis morbis glorientur: ibi ſane potius prudentium & attentorum Medicorum ſententiam amplector, qvi divinas illas calcis ſtanneæ virtutes, non per experientiam probatas, ſed ab imaginatione profectas, rejiciunt. Conſentire hic videtur Lemerus in curſ. chym. ubi qvæ in genere de jovialibus diſſerit & judicat, non incomode huic calcis jovialis ſpeciei applicari poſſunt. Ita enim inquit: *Tribuunt ſtanno virtutes adverſus morbos hepatis & uteri. Sed imaginaria eſt hæc qvalitas, qvam nullo modo comprobat experientia.* Item *Schröderus, Famoſum,* inquit, *eſt remedium, ſed expectationi ſæpe inſufficiens.* Accedit his ſententia celeb. *Ludov.* in pharmacia ſua, ubi de diaphoreticis mineralibus agit, expreſſa. *Si*, inquit, *famoſo nunc nonnullibi antihectico titulum per indirectum acqviſitum demimus, in reali diaphoretica ſua deſtinatione ſuperiorem hunc noſtrum habebimus.* Loqvitur autem de diaph. joviali, cujus præparationem ibidem, uti & in ANC. deſcriptam ſudorifero maximo Fabri ſubſtituit. Neque tamen hunc pulverem, licet præſtantior ſit, ita hyperbolice diaphoreticum eſſe ibidem aſſerit. Cum vero & experientia deſit & ratio nulla inveniri poſſit, quæ ipſis tale qvidpiam perſvadere poſſit: non poſſum non mirari, qvomodo Chymiatri noſtri in illam ſuperſtitionem fuerint delapſi. Eſt enim ſpecificum illud antihecticum nihil aliud, qvam calx, ſ. terra ſtanni cum admixta portione calcis antimonii connupta. Terram vero illam per rationes Chymico Phyſicas ita ſpecificos in phthiſi, hectica, malignis &c. effectus edere certe non liqvet, cum qvoad generales has & univerſaliores ejus operationes (de his enim nunc potiſſimum eſt ſermo) multæ aliæ cum

  

ipsa illa conveniant. Uti igitur neqve ab his ob effectus absorbendi, incrassandi, adstringendi, specifica ejusmodi eaqve præstantissima expectari potest, sic neqve ab illa jovis terra illud jure qvasi deposci potest. Quid qvod & operationem antimonii diaph. cui admixta est; impedire doceat experientia, imo & ratio subindicare videatur? Cum enim ad diaphoresin excitandam non solum reqviratur humorum ad motum aptitudo, sed & pororum tonus in laxitate debita constitutus, tum apparet terram illam vi sua incrassandi & subadstringendi utrique illi medio, qvo ad diapnoen opus est, contrariari. Unde multi hodie antihecticum, uti vocant, album præferunt cœrulescenti, qvod ipsis, licet rationem negligant, experientia hoc suadeat. Ratio vero hæc esse videtur. Album enim nil nisi ant. diaph. cui paucum saltem calcis jovialis v. g. 4. l. 5ta pars pro consuetudine est admixta. Cœrulescens vero genuinum est antihecticum, seu pura fere calx jovis, quæ quartam vel sextam saltim antimonii partem in sese continet. Et hæc qvidem de famoso illo specifico antihectico, cui sane (unice adhibito nec cum præstantioribus potius complicato, aut qvod vel maxime hic, uti in omnibus aliis ejusmodi præparationibus, excipi debet, præscripta a Pot. parandi methodus vera est, nec alia ratio componendi, aliaqve ingredientia familiaria fuerint, ut more Chymicorum aliter scribere aliter sentire consueverit ipse autor) tantam efficaciam tribuendam esse, eoque deploratos omnino ægros convaluisse minime persuaderi possum, maxime cum celeberrimorum Medicorum sententiæ hic assensum præbere depræhendantur. Taceo, quod fides chymica & medica jamdum apud omnes famulos, tonsores, aniculas sit intermortua pro hoc specifico.

Prodit ex specifico hoc antihectico alia panacea eaque sine dubio adhuc præstantiorum virium, qvod denominatio ejusdem indicare videtur. Dicitur enim comuniter & in specie â supra jam laudato inventorum Poterianorum admiratore Etnero; *magisterium specifici antihectici*, qvod e liqvore, paratum specificum edulcorante, per præcipitationem cum aliqvo acido factam acqviritur, non aliter ac nix illa antim. s. famosa Crügeri materia perlata paratur. Rejicit eqvidem idem *Etnerus* hunc modum per præcipitationem illud magisterium conficiendi, & præfert huic non sine ratione, qvam tamen non attendit, evaporationem ejusdem liqvoris leni igne institutam. Ubi sane non tam magist. illud in paucissima qvantitate remanet, sed omne sal nitri, quod antimonium & stannum in calcem verterat, leviter ab acido sulphuris antimonii alteratum, & qvasi in sal vitriolicum neutrum, uti arcano dupl. tart. vitr. lap. prunell. nitro antimonii &c. par comutatum. Etsi vero hoc ita dictum magisterium, paucissimam de antihectico portionem contineat, quæ tamen nec melioris notæ est, nec ab

ipso

ipso fonte discrepat: tamen non inficior sal illud ejusmodi virtutis esse, quæ majore jure antihectici titulum mereatur, dum ob vires illius obstersivos aperientes, refrigerantes, diureticas &c. in omni calore p. n. in alvo adstricta, imo etiam nimis laxa, diarrhœa, dysenteria, febribus, & etiam hecticâ atque phthisi, qn. in fieri sunt, satis laudabiles edit effectus. Itaque quo jure hoc sal magisterium jovialis antihectici dicatur, nullam nisi forsitan superstitiosam depræhendo rationem. Ita quæ ex eodem magisterio Tinctura aurantii coloris extrahitur, non est quinta essentia, uti idem opinatur Etnerus, stanni, sed Tinct. ant. qualis non solum ex scoriis reguli ant. extrahitur, sed vel maxime ejusdem omnino coloris & saporis elicitur ex scoriis succineis quasi in depuratione reg. c. nitro facta relictis: Ex quibus uti tinctura elegans, acris efficaxque, quam alii tinctura metallorum nominant, elicitur: ita ejusdem generis tinctura ex illo sale medio, quod sulph. ant. in calcinatione absorbsit, per spir. ardentem elici potest. Unde non modo inanem Chymiatrorum superstitionem, sed etiam non levem ignorantiam & Chymicam & Medicam haurire & cognoscere licet. Hactenus de specificis Antihecticis.

Reliquæ, quæ adhuc in recensitione supersunt, panaceæ joviales, comode hic præteriri possent, maxime cum levioribus saltim circumstantiis, non tam Medicis quam Chymicis circa præparationes occurrentibus discrepent. Nihilominus tamen pauca adhuc de illis subjiciemus.

Quid igitur de *sudorifero* illo famoso *maximo* nomine inscripto? Argumenta, quibus motus est *Faber*, ut tantis virtutibus illud decoraret, superius jam vidimus. Vulgo illud parant ex reg. ant. joviali crebrius & repetitis vicibus igne leni sublimato. Meliorem descriptionem, quam est ipsa auctoris, tradidit *Ludovicus* & in pharmacia sua, & etiam in A. N. C. Etsi autem hac ratione medicamentum ex stanno diapnoicum nanciscamur, quod etiam ipsius Fabri sudorifero præferendum esse fatendum sit: minime tamen propterea ita hyperbolice diaphoreticum idem celeb. Ludovici judicat. Mitius de prædicto sudorifero Fabri sentit *Ettmüllerus*, qui non maximum quidem, attamen satis magnum esse censet. Et credo sane illud effectum suum diaphoreticum edere, præsertim, si paulo in largiore dosi & cum sufficiente regimine sudorifero adhibeatur: Ubi vero & ipso medicamine neglecto eundem effectum insecuturum esse minime despero. Quod vero tantum sudoriferum prædicetur, quod in minima mole efficacissimum sit, quodque hinc alios præstantes usus post se trahat: per experientiam sane nec ipse Ludovicus, nec alii adhuc dum cognoscere potuerunt; imo etiam in medio adhuc relinquitur,

tur, an comune diaph. jovial. ex reg. jovis c. nitro citra multas ambages confectum, minores, nec ant. diaph. majores & præsentiores præstet effectus.

Neque vero discrepantiam aliquam quoad effectus observare possumus *Bezoardicorum jovialium* Mynsichti, Hartmanni &c. multo minus causam pervestigando penetrare, quo infelici fato bezoardici munus cum nomine ipsis fuerit collatum. Quantum enim alexipharmicarum virium proprie ita dictarum præstent hæcce bez. testari poterit experientia, ubi in malignis nunquam sane eadem neque adeo conspicua diaphoretica notantur, ut adeo neque diaphoretici nomen tueantur, neque â com. diaphoretico joviali uti quoad præparationis fundamentum, sic neque quoad ipsum effectum differant.

Ex paucis itaque hisce, quæ modo adduximus, clare apparere videtur, non levem esse illam superstitionis speciem, qua multi Chymiatri circa jovialium medicamentorum usum fuerant correpti, quaque adhuc multorum animi tenentur, qui a magistrorum præceptis ne latum unguem recedere volunt, sed potius omnem animi intendunt nervum, ne sacra illa religio evertatur aut levem patiatur ecclypsin. Hæc itaque de jovialibus. Nam fumus hic jovialis in cœlo medico disparere incipit, nec superstitioni tempus amplius est, cum plebi alia experientia nota sit, quod terrea talia hecticis magis noceant, obstructiones viscerum augendo, abstersiones ulcerosas impediendo. Recte ita dehortatur *Stahlius*, si colliquationes hecticas accelerare & mortem adjuvare quis velit, tum antihectica talia, imo tinctura Gramanniana, fideliter adhibeantur.

Progrediamur ad *martialia*, ubi pariter superstitiones notabimus. Profecto enim, nisi eadem illa Chym. virtus & hic quoque observaretur, & locum haberet, infinitæ illæ martialium præparationes, vexationes &c. non prostarent. Quæcunque enim virtutes in multis illis præparatis quæruntur: illæ sane in simplici limatura martis, aut si productum aliquod & præparatum Chymicum exoptes in diaph. martiali Ludoviciano, vel, si in forma liquida desideres, in tinctura aliqua martiali vitriolica abunde haberi possunt, ut adeo tantorum laborum & ambagum ad varias martialia, essentias, crocos, bezoardica, acquirenda minime esset opus. Imo etiam testatur experientia, consentiente *Sydenhamio*, nudam martis substantiam assumtam non solum non nocere, uti arbitrantur, sed etiam felicius & breviore temporis spatio curationem absolvere, quam si illa quovis modo fuerit ad usum Medicum adaptata. Uti enim in aliis melioris notæ remediis, ita & hic illud præstitit Chymicorum officiosa sedulitas,

non

non tantum ut δραςικοτερα non sint, sed etiam a perversa planeque inutili eorundem diligentia & opera plusquam otiosa magis evilescant. Refert etiam idem celeber. *Sydenh. Diss. ep. de aff. hyst.* mineram martis crudam, prout e terræ visceribus eruitur, multo efficacius in morbis subjugandis operari, quam ferrum, quod igne jam perustum & fusione depuratum est. Illud certum est, nullum remedium præclarum atque ἐξαίρετον uspiam gentium fuisse procusum, quod non a natura præcipuas vires jam acceperit. Quare Θεῶν χεῖρας, non vero hominum, præcellentiora quævis medicamina antiquitas grata piaque compellavit. Quod vero nativa quidpiam bonitate atque efficacia præstans mirandos edat effectus, quacunque demum forma ingeratur, multa sane in praxi Medica occurrunt, quæ ejus rei nobis possunt facere fidem. Neque enim in medicamentis præparandis medica cernitur peritia; sed in illis seligendis appropriandisque, quæ natura suo igne elaborata liberali sua manu porrigit. Illud tantum agendum nobis restat, ut medicamenta in eam formam reducamus, qua vel eorundem substantia, vel saltim vis & efficacia melius corporibus nostris impertiri queat, cui muneri obeundo facultates nacti sumus plusquam pares. Quocirca hæc ipsa circa martialia medicamenta maxime notari merentur, ubi certe superstitiosa curiositas est, nimium sollicitum esse atque anxium, ut sexcentas ejusmodi variationes inquiramus & ad usum medicum comparemus, præsertim cum omnes fere illæ compositiones, nisi forte vel menstruo, vel ab adjecto alio, seu minerali, seu vegetabili, levem aliquam mutationem induant, quætamen a generali martis efficacia non omnimode recedit, in fine & effectu conveniant, sibique invicem respondeant. Quæ enim vulgariter de viribus & effectu martialium, crasin & qualitatem humorum alterante & corrigente, sang. edulcorante, sulphur sanguinis figente, humores crassos incidente & attenuante, bilis volatilitatem corrigente & quasi coagulante &c. afferunt: illa inquam falsa sunt, neque experientiæ respondent. Sed potius ea gaudent qualitate, quæ motum alterat, & qua (tonum partium solidarum adstrictione vel leviori vel fortiori pro individuorum diversitate augendo, vasaque excretoria stimulando, atque ita transpressione humorum per partes solidas porosas aucta modum intendendo) per accidens humores crassos viscidos pituitosos incidunt & attenuant. Comprobari hoc potest & â priori & â posteriori. A priori si illud quæramus, tum sane sapor austerus, ponticus, stypticus martialium nil nisi eundem in corpore hum. adstringentem & tonum partium roborantem effectum promittere potest. A posteriori vero pulsus citatior, color faciei rubicundior, vomitus, alvi adstrictio, appetitus prostratus, & alii dubii, incerti, sæpeque contrarii

effectus martialium ſubindicare manifeſto videntur vim eorum adſtringentem, tonum partium augeſcentem & ideo motum ſangvinis promoventem. Teſtabitur hoc eo magis effectus eorum in hypochondriacis ſcorbuticis &c. dum ibidem ab eorum uſu, imprimis ſi ſubjecta non adeo robuſtæ, validæ, ſed tenerioris conſtitutionis fuerint, ibi, inquam, obſervare licet anxietates, dolores, tormina, ſpasmoticas contractiones, & alia ſymptomata, quæ ab illorum uſu, maxime præpoſtero, ingraveſcunt & ſuſcitantur. Unde aperte liquet, quicquid martis virtus in hypochondriacis & ſuffarctu venæ portæ confiniumque viſcerum præſtat: illud non tam aperiendo & alterando humores, quam leniter conſtringendo efficere. In hoc fine omnes martialium præparationes conſpirant, nec illæ (quarum quidem efficacia proprie corpori & ſubſtantiæ martiali debetur) ulla ratione, niſi majore vel minore adſtrictionis gradu differunt. Unde, ſive mitius & leniſſime adſtringens remedium martiale deſideres, ſive fortius & validuis exoptes: tum utrumque in una præparatione diaphoretici martialis Ludoviciani, ſeu croci martialis antimonialis haberi poteſt. Illud enim in elutriatione ipſius antimonii martialis cach. facile a craſſiore ſubſtantia, quæ ſponte ab illa ſecedit, & fundum petit, ut ſupernatans, ſeparari poteſt. Hoc vero erit ipſa hæc craſſior terreſtris & adſtringens magis ſubſtantia, quæ vel igne adhuc ſemel tractari vel ita ſaltim, prout libuerit, in uſum vocari poteſt. Ex quibus facile depræhendere poſſumus eorum errorem, qui neglecta tali ἐγχειρήσει, diverſas quaſi illas martis partes non ſeparant, ſed in unum acervum comiſcent, & ideo non modo ancipitem martialium effectum, ſed utpl. noxium & periculoſum experiuntur, maxime vero in hypochondriacis, aliisque, qui tenerioris & ſenſibilioris texturæ corporis ſunt. Unde non modo dubias & incertas martialium vires pronunciant, ſed omnem etiam illorum uſum, utut magnus ab aliis habeatur, damnant. Nam profecto niſi craſſior illa pars a ſubtiliore rite ſeparetur: tum medicamentum evadit, quod non ſolum ſenſu valde adſtringens percipitur, ſed etiam ſume conſtringentes in corpore exſerit vires. Unde præparata eundem uſum & vires non aliter ac corticem peruvianum præmiſſis præmittendis generalioribus exerere, ac motiones febrium intermittentium ſiſtere & ſupprimere obſervatur. Contra vero ſubtilior ejusdem pars hoc non ita efficaciter & celeriter præſtat, & tutius in debilioribus & habitus corp. ſenſibilioribus hominibus adhiberi poteſt. Ergo videmus, omnem martialium, ut talium, effectum non modo non humores alterare, ſed motum ſaltem, fibras motrices conſtringendo, corrigere, neque a prædicto operandi modo ceterorum differre, ut adeo infinitorum illorum martialium vexationes, bezoarticorum variorum præ-

para-

parationem nulla ſuadeat neceſſitas, neque utilitas magna jubeat, ſed undique ſuperſtitio in hoc capite theoretica & practica evaneſcat.

Diximus ita breviter, quid de infinitis illis martis præparationibus judicari poſſit. Reſtabunt in examine noſtro remediorum metallicorum duo adhuc metalla plumbum & cuprum, quæ perquam comode â nobis præteriri poſſunt, cum pauca ex illis arte Chymica producantur, quæ in uſum medicum, internum maxime, trahi poſſunt, imo etiam, ſi exhibeantur, eos effectus præſtant, quæ facile uſum plenarium diſſuadere queant. Ita teſtatur experientia ſaturnina, uti balſama ſaturni, ejus ſaccharum &c. non modo nullum ejusmodi hyperbolicum uſum ac vires, maxime vero antiphthiſicas, uti vulgo putatur, præſtare, verum etiam ob ſumas noxas & detrimenta, quæ corpori inferant, omni ſtudio vitanda, nec intra corpus facile adhibenda eſſe. Id quod & veterum etiam & recentiorum obſervationes paſſim teſtantur. Ex antiquioribus præter *Dioſcoridem* notavit illud etiam *Fernelius*, dum ægrum â ſaturni pulveris adverſus arthritidem uſu dyſenteria crudeli, & poſtea, ea ceſſante, ſæviſſimis ventris roſionibus & torſionibus cum contumaciſſima ventris adſtrictione, virium debilitate, appetitu dejecto, ictero & aliis malis fuiſſe correptum notabat. A recentioribus multis idem confirmatur. Sic legitur apud *Rhodium* in obſ. â Sacchari ſat. uſu paralyſin & contracturam, qui comunis effectus eſt, ortam. Idem de Sacch. ſarturni uſu teſtatur *Borellus* in obſerv. dum ægrum, illo ad tempus aliquod uſum, paralyticum evaſiſſe meminit. Rigebant, inquit, membra ejus, & tanquam congelatus & apoplecticus erat. Sed quid opus eſt, aliorum obſervationes ad hujus rei veritatem adſtruendam adducere, cum illa res ſatis nota & manifeſta ſit. Imo quotidiana multa exempla nos edocent, quantum ſaturnina ad contracturas & paralyſin tribuant, & quanta alia mala corpori inducant. Videmus hoc in figulis, qui in fictilibus lithargyrio incruſtandis occupati ſunt, præſertim vero ſi ollis calidis agglutinare debent lithargyrium: (Si enim ollæ frigidæ ob argillæ bonitatem lithargyrium admittunt: non tantas noxas percipiunt.) Hi enim incidunt exinde in vehementiſſimos inteſtinorum dolores cum præcordiorum & ſpirandi difficultate, membrorum tremore, contractura, articulorum debilitate, ſuma virium diminutione, alvi pertinaciſſima adſtrictione & aliis ſævis ſymptomatibus. Eadem & ſæviora ſymptomata â ſaturni fumis deglutitis & Sacchari ſaturni ſaporem referentibus experiuntur metallicolæ; Corripiuntur enim torminibus ventris ſume convulſivis, intolerabili inteſtinorum cruciatu, qui ægrum rabioſæ felis circumgyrationem æmulari cogat, unde morbus Germanis audit Die Hütten Katze. Neque enim ſtandi ſæpe ulla

datur poteſtas, inquieti huc illucque moventur, terram repunt, eam unguibus rodunt: accedunt his ſudor frigidus, lipothymia, cardialgiæ, vomitus, febres lentæ, urinæ ſuppreſſiones & tandem convulſiones muſculorum, contracturæ & paralyſes partium extremarum. Ex his itaque clare apparet, finem & effectus ſaturninorum, quocunque etiam modo vitalia penetrent, ſive per medicamenti formam, ſive in vaporibus cum aere corpori ingerantur, eſſe paralyſin, convulſiones & contracturas, atrophias, ariduras, cachexias &c. Plumbum enim ob gravem ejus mercurialem ſubſtantiam intimius intunicarum nervearum & muſculoſarum poros penetrando, obſtructiones efficit, fibras nerveas lancinat, irritat, rodit, atque ita ſævos ſpaſmos producit, cui cauſæ alia multa ſymptomata dolores, vomitus, cardialgiæ, anxietas, excretionum naturalium ſuppreſſiones, inteſtinorum inflamationes debent ſuam originem. Eædem illæ particulæ ſaturninæ, quando vaſa lactea & ſanguifera anguſtiſſima & cutis etiam poros obſtruunt: Tum atrophiæ, ariduræ partium, cachexia &c. ſubnaſcuntur. Si vero cum ſucco lymphatico ad nervos, tendines, ligamenta deferantur, facile in anguſtiſſimis tubulis hærent, obſtructiones pariunt, ſpir. animalium interceptiones producunt; atque ita paralyſes & contracturas progenerant. Unde facile cognoſcere poterimus detrimenta, quæ â ſaturninorum uſu interno in corp. hum. redundant, quæ tanta ſunt, ut nos merito ab eorum uſu avocare queant, nec ſuperſtitioſum laborem injungant, in plumbi cicuratione multum eſſe ſollicitum, cum vel Italica artificiæ in pulvere ſucceſſivo ex ceruſſa formando, vel vinorum acidorum per lithargyrium mitigationes exitioſæ notæ ſint, & indicent, in vitalem uſum ex hoc metallo nil ſalutaris ſperari poſſe. Quod vero uſum ſaturninorum externum Chyrurgicum attinet: ſane multa etiam ibidem offeruntur, quæ nos abducant. In inflammationibus enim grandioribus, ubi ob virtutem refrigerantem ita dictam comuniter adhibere ſolent, non modo nil, aut rariſſime, juvant, ſed ſcirrhoſum lividum poſt ſe relinqvunt tumorem, qui, ſi ab aliis medicamentis nulla ſequatur diſcurſio, evadit ulceroſus, erodens, cancroides. Si vero nihilominus tunc quoque ſuccedat ſuppuratio, in ambitu ad minimum pejoris moris ulcerationem efficiunt, & ſinuoſis ulceribus viam ſternunt. Quod emergit ex illa ſuperſtitione, ac ſi ſaturninorum materiam quandam ſpecialem in ſe contineat, fermentum acre corroſivum, cancroſum coagulans invertendi. Quibus tamen minime uſus ſaturninorum ob vires leviter temperantes in inflamationibus minus profundis, circa eorum confinia applicando, magis vero in ulceroſis ſuperficialibus ardoribus, maxime in ſanguineis calidioribus ſubjectis proficuus rejicitur.

Lu-

Lustratis ita paululum saturninis, restant, uti paulo antea dixi, *venerea*, quæ agmen mineralium claudunt. Cum vero ex venereis quæ prodeunt præparata, ob nauseabundam eorum suffocativam similemque adversam qualitatem ipsis perpetuo adhærentem, internis usibus ex specialiori effectu majoreque præ aliis fructu adaptari nequeant: tum hic neque Chymiatrorum solertiam tanta spe uti in ceteris ad panaceas consequendas illectam quasi esse, neque adeo ipsos circa illa, quæ ex venereis igne chymico prodirent, vana superstitione correptos reperimus. Non tamen hic desunt, quæ in nostram considerationem possunt venire. Ita videmus, quantæ virtutes diaphoreticæ aperitivæ in morbis chronicis præstantissimæ, uti & in affectibus maniacis epilepticis efficacissimæ fuerint adscriptæ *bez. veneris* gryſei coloris & ejusdem cum ceterorum bezoardicorum præparationis. Arbitrantur enim corpus mercurii reguli antimonii sulphur veneris imbibere, corrigere, atque vim emeticam in diaphoreticam convertere. Docet tamen experientia & ipsi etiam sensus, neque hoc venereum medicamentum nauseabundam & suffocativam suam vim, uti modo in genere de venereis diximus, deposuisse, imo vero adhuc dum effectum suum in nausea, vomitu, cardialgirca constrictione &c. provocanda largiter exserere. Neque vero ratio illa Chymica de sulphuris venerei per corpus mercuriale correctione locum hic habere videtur, cum φλογιςὸν illud, quo substantia metalli venerei imbuta est, in calce veneris desit, utpote in cujus præsentia vel absentia specificam differentiam metallicæ ductilis substantiæ ab ipsa calce ejus positam esse puto, neque vero, si ad esset adhuc, ita manifestum foret, an ab illo vis emetica potissimum sit deducenda, cum alias exinde colligi posset, effectum emeticum in antimonio crudo longe majorem ac præsentiorem esse, quam in regulo ant. (in hoc enim longe minor quantitas sulphuris est, quam in illo) quod tamen falsum. Ergo cum bez. hoc veneris adhuc vim vomitoriam, a principio suo mutuatam, possidere pateat: i. e tali virtute, quæ tonum ventriculi non modo augeat & roboret, sed spasmum & constrictionem, quæ ad expulsionem materiæ in ventriculo contentæ opus est, ipsi visceri inducat: corruet reliqua virtus adscititia diaphoretica aperitiva &c. utpote media ad finem tendentia & directa fini plane contrarientur. Ad diapnoen enim excitandam & humores tenues mobiles subtiles reddi debent, & ipse tonus cutis ceterarumque partium solidarum relaxari, quo commode transspiratio & exhalatio humorum serosorum fieri queat. At vero remedium, â quo talia speramus & expectamus, poros cutis obstruit & occludit, tonum partium fibrosarum constringit & coarctat, ut ventilatio & evaporatio seri excrementitii impediatur, illudque potius copiose ad centrum habitus

bitus corporis reprimatur. Patet itaque ab hoc bez. veneris minime felicem aliquem effectum diaphoreticum, multo minus alexipharmacum expectari posse.

De ceteris, quæ ex venere in usum Medicum internum educuntur, nil præterea afferam, cum ejusdem propemodum conditionis, usus & census esse possint. Sic enim *ens Veneris* magnam spem multis quidem excitasse, uti *sulphur vitrioli anodynum*, at non implevisse palam est, ut usuale reddere superfluum fuerit agnitum.

Quæ vero in *usum externum* ex cupro parata trahuntur: talis potius generis sunt, quæ magis apud Chirurgos quam apud Medicos in vanum superstitiosum & pessimi sæpe eventus abusum ducta observantur. Hujusmodi maxime sunt viride æris, ung. ægypt. Fuscum F. Wurzii & alia venerea, quæ in omnibus ulceribus, fistularum generibus non solum ad callum durissimum brevi tempore absumendum, sed etiam ad acidum ulceris corrosivum, uti loqvuntur Muys aliique, absumendum, sine discrimine habito ratione partis affectæ adhibent, & ad ea solummodo veluti ad sacram anchoram confugiunt. At vero frequenter docemur, si ulcera fistulosa seu sinuosa, quæ ad ossa, membranas, glandulasque tendunt indiscriminatim, per talia septica venerea præscripta & vulgari ipsorum methodo tractentur: tum non modo ulceris illius consolidationem plenariamque curationem impediri, verum etiam cariei ossium, membranarum glandularumve insigniorum arrosioni & hinc variis incommodis resultantibus occasionem præberi. Retardatur inquam ulceris consolidatio, quando ulcera ad partes osseas attingunt, atque ita septica ejusmodi applicata ad easdem penetrant, arrodunt, atque cariem inducunt. Hac vero præsente, nec ante omnia ad restitutionem perducta, frustra erit omnis ulceri adhibita medicatio. Imo etiam si per balsamicorum usum ad consolidationem vergere videatur: brevi tamen certissimeque eum majore incommodo ulcerosa eruptio recrudescit. Unde apparet a tali cariosa ossis, vel substrati, vel quocunque modo communicantis, corruptione nequaquam felicem ulceris consolidationem expectandam esse, neque hanc ob causam præcipue in talismodi ulceribus & fistulis corrosiva illa tantam utilitatem, uti putant, fœnerari. Quod si vero cum ulcere eadem illa septica ad membranoso nervosas partes pertingant: tum non raro, nisi mature succurratur, convulsiones, inflammationes sævaque symptomata producunt. Ita haud ita pridem tales effectus in puero notavi, qui fistuloso ulcere genæ laborans & a Chirurgo viridi æris soluto frequentius tractatus, tandem post summos dolores, (quos sub tali applicatione percipiebat) & cariem ossis, convulsionibus, delirio & aliis symptomatibus correptus obiit. Paria, imo pejora,

ad-

adhuc incomoda obſervantur in nævis maternis, ſi ejusmodi corroſivis tractentur. Cum enim illa, extraordinario & intento prorſus ſtudio pertexta corpora, (præcipue majora & capaciora corpora ſi ſint) multis & inſignibus nervis prædita ſint, ut durius tractata admodum ſenſibilia obſerventur: tum ſane longe magis a profundiore ejusmodi læſione repentinæ & violentæ inflamationes oriri poſſunt, quæ etiam multo promptius, quam aliæ, etiamſi inſigniores & diffuſiores ſint, in gangrænam & ſphacelum prolabi obſervantur. Unde utique ſeptica talia non ſolum gravibus inflamatoriis ſymptomatibus, ſed etiam ſpaſmoticis & convulſivis motionibus, imo virium dejectionibus, mentis vacillationibus & febrilibus anomalis turbis anſam præbent. Ex quibus, uti & ex aliis, ubi inconſiderate cuprea illa ſeptica adhibentur, colligitur, quantam noxam illa corpori adferant, ſi ad illorum methodum univerſalem quaſi adhibeantur. Minime tamen hiſce omnem eorum uſum rejiciendum eſſe putamus, maxime ſi non ſolum cum circumſpectione adhibeantur, ſed præcipue ſi conſiſtentiæ partium ſolidarum læſarum ratio habeatur. Unde utique, ſi hæ, uti & aliæ, cautelæ & circumſtantiæ obſerventur in ulceribus calloſis mundificandis, abſumendo callum, ſuum habent uſum, uti & in fungis tenerioribus ſpongioſis & aliis etiam affectibus Chirurgicis. Illorum ſaltem hic tangere libuit opinionem, quia illa cuprea ſpecifica quaſi, nec manifeſta adeo, ratione non tam ad callum rodendo abſumendum, quam ad acidum corroſivum, quippe quod fœtida illa depaſcentia, eliqueſcentia, manantia, cruſtoſa, ſinuoſa & omnis generis ulcera producat, abſorbendum operari arbitrantur. Ubi ſane juxta ipſorum ſententiam, ſi geneſis ulcerum illorum a tali acido corroſivo pendeat, illa venerea rodentia in nullo ulcerum genere bonum aliquem effectum edere poſſent, ſiquidem ratio ipſa dictitet, corroſivi vim ab alterius corroſivi acceſſione non tam infringi aut labefactari, quam potius augeri. Ex quibus etiam ſimul cognoſci poteſt graviſſimus ille error circa uſum arſenici aliorumque cauſticorum ad Cancrum enecandum, uti vulgo loqvuntur, adhibendorum pronatum. Stolidus enim ille uſus, ex craſſiſſima plane ignorantia geneſeos talium affectuum ortus, uti non niſi peſſimo auſu ſuſcipitur, ita triſtiſſimo plane eventu perpetratur: Unde internæ anguſtiæ, anxietates, turbulenti ſpaſmodici motus longe ultra ſolitum cito increbeſcunt, & facillime ad tumores, febriles, gangrænodes, convulſivas cataſtrophes datur tranſitus. Sed de his cancrum enecantibus remediis εὐς ἐν παρόδῳ & occaſione dementis illius ſepticorum venereorum ad ulcerum acidum corroſivum imbibendum abuſus dictum ſufficit. Quemadmodum enim hæc corroſiva arſenicalia cancroſa illa ulcera minime tollunt feliciter, neque cancrum, quem vivere

forſitan & corpus perrepere putant, enecant: ita & illa venerea inepta plane ſunt ad corrigendos humores peccantes lymphaticomucidos, lentos, ſeroſos &c. & ad acidum ulcerum corroſivum abſumendum. Sed tranſeant hæc cum univerſa venereorum claſſe: Ubi etiam toti illi diſquiſitioni, & examini illorum Medicamentorum, quæ arte Chymica ex metallis producuntur, finem imponimus.

Cum itaque ex metallicis ea breviter adduximus & luſtraverimus: quæ ad Idola Chymiatrorum pertinere illorumque ſuperſtitionem ſapere videbantur: ſequitur in ordine noſtro electo, ut ſpecialiter dicta mineralia etiam pauliſper ſub incudem vocemus, &, quæ ex illis producta & in uſum Medicum vocari ſolita ſuperſtitionem quandam innuunt, pariter examinemus.

Sit itaque primum nobis *mercurius*, qui uti fons eſt, ex quo efficaciſſimorum remediorem plures rivuli dimanent, ita etiam origo evadit variarum ſuperſtitioſarum opinionum, quas circa ejusdem medicaminum uſum, vires & effectum ali videmus. Hæc vero depræhendemus maxime, ſi præter alia ex eo producta *cinnabarim* vulg. factitiam aſpiciamus, ſententiaſque, quas circa ejus uſum vireſque tulere, perpendamus. Ita alii eam venenum ſui generis humano corpori, uti alia venena mineralia, nocentiſſimum pronunciant. Alii non quidem venenum eſſe judicant, uſum tamen ejus medicum damnant, & ad uſum modo Mechanicum, pictoribus aliisque relinquendum eſſe exiſtimant. Alii mitius ſentientes uſum externum ad ſuffimigia unguenta &c. in lue venerea, ſcabie adhibenda probant, neutiquam vero uſum internum, quem nil niſi lethalia damna & miſerandam mortalium cladem comitari poſſe putant, uti *Schulzius* loquitur *in triga cinnabr.* Quæ vero uti & aliæ ejusmodi opiniones, ſive experientia ſive ratione eas perpendas, nullibi ſane ullum aſſenſum inveniunt. Mitto ego primam, utpote jam dudum exploſam, quam *Fernelius*, *Sennertus*, *Schenckius* aliique multi fovebant, quamque ſuis obſervationibus practicis probare nitebantur. Iſte pictorem a ſuctione penicilli, cinnabari illiti, graviſſimis ſymptomatibus, convulſionibus, manuum pedumque contracturis, doloribus acerbiſſimis hypochondriorum &c. correptum eſſe tradidit. Ille ſymptomata eadem, quæ a merc. ſubl. aſſumto obſervantur, hujus uſum inſecuta eſſe meminit, imprimis autem roſiones in ventriculo & inteſtinis, vomitum & diarrhœam cruentam, ſpirandi difficultatem, cardialgiam. Hic vero *Schenckius* prodidit a ſolo ejus uſu extrinſeco in ſuffimigiis juvenem, qui ulcus ab impuro coitu in pene contraxerat, ſanato quidem ulcere doloribus capitis graviſſimis & hæmorrhagia

gia

gia narium & aliis ſymptomatibus fuiſſe correptum, quæ etiam tandem ipſum juvenem extinxere. Verum in omnibus hiſce aſſertionibus veritas & fides hiſtoriarum & obſervationum non tam ratione eventus, finis, quam ratione originis & cauſæ efficientis in dubium vocatur. Cum enim aliæ multæ cauſæ ſubſint, quæ occaſionem ejusmodi malis præbere potuerunt: tum ſane non injuria ſuſpicio eſt, an non hic fallacia aliqua a non cauſa ut cauſa, uti Philoſophi loqvuntur, comittatur. Alteram qui fovent ſententiam, mitius quam priores hi ſentire videntur, non tamen multum ab horum recedunt opinione. Si enim damnandus eſt ejus uſus Medicus: tum profecto ſequitur neceſſario, eum aliquid pernitioſi corporique hum. infenſi in ſe continere. Ita illam pictorum capſulis aptiorem, quam Medicorum forulis pronunciant. Hanc vero ſententiam illi refutant, qui tertiam amplectuntur, dum utique uſum cinnabaris externum in empl. ſuffim: unguentis concedunt. Hærent vero, ubi ad internum ventum eſt, quem neque approbare volunt, neque ipſi tentare experimentumque facere audent, verentes ne miſerandam cladem inferant mortalibus. Unde multi in illos vel pharmacopæos vel Medicos ſummo impetu invehuntur, qui in præparatione ſpecif. ceph. Mich. aut aliorum pulverum in locum cinnabaris ant. cinnab. vulgarem cum ſummis damnis & vitæ etiam periculo conjuncto ſubſtituunt. Et *Schulzius in triga cinnabr.* Medicos Practicos ab ejus uſu magnopere dehortatur: *Nolim*, inquit enim, *cuiquam præſertim incipientibus in quævis ſæpe incidentibus auctor eſſe temerarii ejus abuſus.* Ergo videmus hinc, quanti timores, meticuloſitates, trepidationes invaſerint Chymiatros, antequam ad cinnab. uſum internum accedant. Cauſas vero ſupervacanei hujus metus ſi inquiramus: nulla apparet. Quod ſi vero quispiam ei uſum intra corpus non ſolum tutum cum felici effectu conjunctum tribuat, verum etiam æqualem plane & eundem, quem cinnab. ant. exſerat, adſcribat; imo etiam comunem quodamodo ipſi cinnab. nat. afferat: eum ſane aut riderent & mente captum dicerent, aut ipſi obſtupeſcerent, ut vox faucibus hæreret. Illud vero non modo experientia & obſervationes accuratiorum Medicorum affirmant, ſed etiam ipſæ rationes Chymico Phyſicæ ſuadent. Non inficiabor, qui cinnabaris nat. ut & ant. uſum vireſque præſtantes mercuriales in cutaneis affectibus, doloribus pertinacioribus, vitiis phantaſiæ, epilepſia, affectibus capitis & nervorum, humores acidos viſcidos in coagulum abeuntes incidentes & alios plures ad ſerant *Wedel.* in pharm. uti & *Ludovicus Hoffmannus.* Aſt vero an non idem cinnab. vulg. præſtet, neutiquam obſervatur. Confirmat hanc aſſertionem obſervatio *Schulzii*

 in

in tr. de Cinnab. allata, qui tamen longe ab ſententia hac alias deflectit. Comemorat ibidem Practicum quendam ſibi admodum familiarem, cognitione vero materiæ Medicæ accurata & exquiſita leviter ſaltem tinctum, multoties cinnab. com. pro nativa uſum fuiſſe, inſcium tamen ejus rei. Poſtulaverat enim ſemper a Mercatore, quem Materialiſtam vocant, cinnab. ſimpliciter ſine additamento nativæ. Uſus itaque ea erat non modo ſine omni noxa, ſed cum præſentaneo effectu in notoriis affectibus ad gr. IV. Imo, etiam addit, pulverem Mynſichti mirabilem ex eadem confecerat. Ex quibus ſane perquam clare æqualitas virium dictorum cinnabr. eluceſcere poteſt. Quod ſi enim tantum diſcrimen ratione virium eadem intercederet: tum ſine dubio illud medicus depræhendiſſet. Imo novi Medicum Practicum certe prudentiſſimum & accuratiſſimum, qui ne quidem cinab. ant. ob laborioſam ſatis & ſumptuoſam præparationem ad hibet, aut raro utitur, ſed ſolum cinnab. vulg. Nihil tamen inde neque minoris efficaciæ neque pejoris etiam experitur. Taceo aliorum plures obſervationes, quæ idem teſtantur. Res enim clara evadet, modo quis ipſe ejus rei periculum faciat. Certe enim ipſa cinnab. com. æque feliciter effectum ſuum edit in reſolvenda lympha viſcida tenaci, ſalivatione excitanda, & aliis affectibus, imo in ipſa epilepſia, ſi rite adhibeatur. Proinde ſine omni ſcrupulo ad plures non dicam uncias, ſed libras per aliquot annos in diverſis aularum pharmacopoliis & præſcriptione ordinarii Medici conſumſi. Neque vero illud ſolum a poſteriore, ſeu ab experientia, (quæ cinnab. com. ſimilem c. cinnab. ant. imo & cum cinnab. nat. quæ tamen nonnunquam celerioris efficaciæ eſſe videtur, tribuit effectum) manifeſtum evadit; verum etiam a priore, ſeu rationibus & Chymicis & Pharmacevticis pateſcere poteſt. Chymicas ſi ſcrutemur & fundamentum utriusque præparationum contemplemur: nulla ibi occurret differentia. Utraque duo agnoſcit principia merc. & ſulphur. Ille maximam mixti partem conſtituit; unde & vires ab eo ſolum fere dependent. Hoc vero in pauca quantitate octava vel 10. parte corpori mercuriali admixtum eſt, id quod & a priori & a poſteriori manifeſtum evadit. Hæc ſunt amborum Cinnabr. principia conſtitutiva, quæ & antiquiores & recentiores confirmant, imo & eorundem Syntheſis & Analyſis probat. Quoad principium primum mercuriale non puto differentiam intercedere, cum ſimplex in utroque lateat mercurius. In Cinnabari enim antimoniali ſalia corroſiva ex ſpir. ſalis concentrato, quo ſcatet mercur. ſublim. antimonii corpus mercuriale deſerunt, & antimonium, ceu magis amicum, ob faciliorem ſolutionem aggrediuntur, illudque leni accedente calore vel humiditate intime ſolvunt, receptumque ita in porulos liquorem illum glacialem, quem butyr. ant.

nun-

nuncupant, constituunt. Cum itaque a mercurio & sulphure antimonii pars regulina antimonii & ipsum sal acidum, quod mercurium in amplexibus suis tenuerat, recedant & ita purus mercurius relinquatur: nulla cinnabari antimoniali ratione primi istius principii differentia chymica a cinnab. vulg. agnosci potest, quippe quæ, uti notum est, purum mercur. in mixtionem suam recipit, quemadmodum & antimonii cinnabaris purum mercur. & sulphur secedentibus salibus & parte antimonii regulina sortitur. Ergo discrimen aliquod adesse ratione sulphuris necesse est. Illud enim in utraque cinnabari conficienda ramosis suis particulis sese cum corpore mercuriali conjungit, illudque præcedanea sublimatione in fixam stabilem substantiam transmutat. Hanc vero differentiam maxime agnovere Chymiatri antiquiores, dum sulphur antimonii solaris magis naturæ esse, officinalem vero com̃. sæpe arsenicalis esse existimarunt. Antiqvum hoc com̃entum ut ut jam dudum sit explosum, minime tamen huic veluti fundamento superstructum ædificium simul eversum est. Quæ enim de indole antimonii sulphuris solari afferunt, partim falsa sunt, cum neque in auri corpore tale sulphureum, quale in antimonio est, hæreat, sed terra solummodo inflam̃abilis, multis aliis corporibus com̃unis ac pœne universalis, neque etiam vel Synthesis vel analysis antimonii per artem Chymicam instituta illud innuat, cum notum sit, antimonium ex reg. ejus mediante sulphure com. non modo ejusdem qualitatis, ac nativum est, verum etiam purius, & ob id melioris usus reduci, imo etiam sulphur ipsum antimonii si purum sit, neque particulis regulinis inquinatum, notabilem differentiam non indicet, partim etiam si jam esset solaris naturæ, non pateret, quomodo exinde tantorum effectuum proventus dimanare posset, cum illa sulphurea parte seu φλογιςῶ, quod auro inest, minime sulphur com. destituatur. Quæ vero postea de sulphuris com. vi arsenicali inferunt: illis contrariatur demonstratio & â priore, cum virulenta arsenici facultas non tam a sulphure, quam a salibus causticis admixtis pendeat, & a posteriore maxime, cum virtus sulphuris balsamica, demulcens, vulneraria &c. minime effectus causticos arsenicales exserat. Quibus omnibus accedit illud maxime argumentum & experimentum, quod etiam valebit ad differentiam cinnabarium ratione sulphuris destruendam, nec adeo prætereundum. Scilicet notissimum est, tam ex præparatione cinnabaris, quam ex ejusdem in sua principia resolutione, quam paucum sulphuris antimonii im̃ixtum sit, ita ut, etiamsi parce exputem, ne octava pars ratione mercurii compositionem ingrediatur. Quoad præparationem manifestius illud depræhenditur in cinnabari com. quam antimonii. Ibi enim sextam tantum partem sulphuris ad unam mercurii accipimus. In cinnab. ant. idem si atten-

tius omnia obſerves & ingredientia antimonium, merc. ſubl. & prodeuntia butyr. ant. probe ponderas, licet non nihil obſcurius, patebit. Quoad reſolutionem vero idem pariter notabitur, ſi vulgare experimentum c. alcali, ſulphur abſorbente & imbibente, ut ita mercurialis ab ejus connubio liberetur, quispiam inſtituere velit. Ergo ex his etiam videmus, nihil aut paucum bigam illam cinnabr. reſpectu ſulphuris differre, ut adeo appareat cinnabarim totam fere eſſe medicamentum mercuriale, a quo conſiſtentiam, texturam & virtutes poſſideat, quemadmodum rectiſſime ſentit *Exc. Dn. Hoffm. in tr. de cinnabr. antim.* Quocirca cum neque â ſulphure neque a mercurio notabilem differentiam in cinnab. ant. (de hac potiſſimum agitur) videamus: diſquiritur non imerito, an nihil aliud, præter dicta principia cinnabarim ant. accedat, quod ipſi præ cinnab. com. tribuat prærogativam. Ita vero ſi eſt, aut debet procedere a ſalibus, aut â corpore antimonii regulino metallico. Qui a ſalibus corroſivis mercurii ſubl. illud derivant, aſſerunt, eadem ſulphur antim. exaltare, ac eo quidem modo, quo color rubicundus tincturarum, ex floribus aliisque paratarum, ab acceſſione acidi evolvitur quaſi, &, uti loqvuntur, acuitur. Qui vero partem antimonii regulinam inferunt, aſſerunt, de eo aliquas partas ſimul cum ſubſtantia ſulphurea in connubio hujus cum mercurio, ipſi concreto & aggregato cinnabarino admiſceri, & ob ejus vim penetrantem potentias ſimul cinnabaris intendi & augeri. Ego vero in utroque argumento non inficiabor illud fieri poſſe, nempe acceſſionem quandam ſalium & reguli. Quid vero ad confirmationem dubii faciat, non intelligo. In priore enim plane non opus eſt, ut evolutio & exaltatio ſulphuris ab acido expectetur, cum & ſulphur jam copioſum ſuum acidum habeat, & acidum adjectum ſulphur & mercur. in cinnab. fixata Clauderi nil præſtare ad oculum patet. In poſteriori pariter non inficiabor, particulas quasdam regulinas, quas tamen pauciſſimas eſſe oportet, in cinnabarinum concretum ſeſe inſinuare (licet illud alii forte negent per experimenta ſynthetica ex ipſo regulo probe purificato, ſulphure & merc. ſublimato aut etiam per ſedulam & curioſam ponderationem & ingredientium & productorum, aut etiam per ἀνάλυσιν cinnab. inſtitutam) & tantum forſitan, quantum in ſulphure antimonii hærere reguli id antim. diaph. ex eodem c. ſale nitroſo productum probat. Verum qvid tantillum valeat ad virtutes & facultates plane imutandas; neqve â priori neqve â poſteriori perſpicere poſſum. Poſſet ulterius de poſtremis hiſce contrariis argumentis examen inſtitui, ſi ſolumodo adhuc περὶ τοῦ διότι, ſeu cur cinnabaris ant. tantam prærogativam ferat præ cinnab. com. qvæſtio reſtaret. Cum vero τὸ ὅτι in firmo ſtet talo: tum omnis talis, qvantacunqve etiam ſuſcipiatur, ſpeculatio erit fruſtanea. Luſtratis

ita

ita paululum iis argumentis chymicis, quæ ad æqualitatem & differentiam cinnabaris ſpectare videbantur: reſtabunt therapevticæ ſeu potius pharmacevticæ, ubi pariter nullam cinnabari antimon. palmam adportat. Nolo enim hic ſulphuris virtutes balſamicas demulcentes, temperantes, anodynas, pectorales quaſi ſpecificas & alias, comemorare, cum, uti paulo ſuperius notavi, utraque cinnabaris parum virium â ſulphure mutuetur, contra vero omnes eas corpori mercuriali debeat; Cum vero mercurius in utraque cinnabari præparationem eodem modo ingrediatur, nec metamorphoſin laudabilem prius patiatur in qvadam earum cinnabrium: tum neque ab eodem ulla differentia effectus, ut re ſimplici, nec diſparem mixtionem ſubiente, petenda videtur. Ex hisce itaque omnibus clare pateſcere puto illa, quæ ſupra in theſi adduxi, nempe (1) nullum venenum eſſe cinnabarim com. (2) tutiſſime non modo in uſum Medicum externum, ſed & internum trahi poſſe, nec mechanicum ſolumodo eſſe. (3) Palmam dubiam facere ipſi cinnabari antimonii, & huic neutiquam prærogativam deberi. Nam profecto & ipſas vires antepilepticas cinnab. ant. quas veluti ſpecificas multi tantopere extollunt, largiter in cinnab. com. reperimus, modo non ſolum rite præparetur, ſed, quod nervus rei eſt, legitime, juſto tempore, non neglecta generaliori medicatione & aliis obſervatis circumſtantiis, quæ in uſu ſpecificorum notari debent, adhibeatur. Interea tamen minime inficiabor, medentes ſæpiſſime in hac concepta ſpe & fiducia decipi. Neque enim omni obſervatione ab illis confirmari poterit, uſum ejus ſemper pro ratione temporis, ſubjecti &c. rite fuiſſe adminiſtratum.

Longior in hac ſuperſtitionis ſpecie fui, quam neceſſarium erat. Progrediendum nunc erit ad cetera mercurialia, ex quibus ea ſolumodo deſumam & brevius expendam, qualis ibi ſuperſtitio foveatur. Ejus generis ſunt æthiops mineralis, ipſa quodamodo cinnab. ant. panacea Anvvaldina, Panacea ex cinnab. nat. ſ. arcanum cinnabaris Mætſii, electrum min. merc. d. ſolaris, merc. d. cinnabarinus &c.

Cinnabarim ant. in noſtrum cenſum non trahemus, ſiquidem illa ſecurum mercuriale eſt remedium, quod diaphoretica exaltat, motiones ſpasmoticas epilepticorum, hyſtericarum, colicorum, artuum & aliarum nervoſarum partium ſedat, cutaneos affectus evidenter tollit, phantaſiæ vitiis, imo ſæpe etiam malignis febribus confert, nec non intermittentibus, affectibus pectoris etiam, medetur, & alias præſtantiſſimas vires exſerit, quas ita recenſet & dilaudat exc. Dn. Hoffm. in tr. de cinnabr. ant. Binas ſaltim hic præter alias nominare placet ſuperſtitiones, quibus illa occaſionem ſuppeditabat, unam Medicam ſpeculativam, alteram Chymicam. Prior eſt in explicatione modi operandi ſpecifici quaſi

in epilepsia, quem ab ejus alcalina indole procedere autumant, uti illud præter alios etiam ab Margravio in coll. chymicis Leidensibus assertum comperimus. Ubi quidem 3. supposita sunt, quæ dubium movent. (1) Epilepsiæ causam materialem proximam esse acidum. (2) Eundem affectum curari per alcalia. (3) Cinnabarim ant. esse alcali. Primo horum contradicit tum causa vera ex historia morbi accuratiore hausta, tum etiam ipsius epilepsiæ, infantilis maxime, de qua mentio facta est, cura. Causalitas enim magis docet eam originem debere materiæ viscidæ lentæ mucosæ, tenaci, vel in primis viis, vel in aliis partibus seriferis hærente. Unde ad talem mucum e corpore ejiciendum convulsio illa opus est. Probant id etiam epilepsiæ causæ occasionales, siquidem facile eam pronasci videmus a crusta lactea retro pulsa, scybalorum induratione &c. quæ tantam comotionem naturæ, & physice & moraliter indigent. Probatur hoc & eo magis quidem â posteriori ex curatione ipsius epilepsiæ, quæ absolvitur humores tenaces fluxiles reddendo per catarrhalia, absorbentia, temperantia, succinata, myrrhata &c. eos correctos postea educendo per purgantia rhab. merc. d. rad. ir. &c. & per diapnoica leniora, & denique motus istos epilepticos specifice tollendo per cinnabarina aliaque: Unde intelligi potest epilepsiam magis a materia mucida viscida tenaci, quam salino acida produci. Ex quibus facile hauriri potest solutio alterius suppositi, de cura epilepsiæ per alcalia. Quod si enim epilepsia ab acido provenit, tunc ei alcalia debent opponi. Atqui posterius est falsum, uti ex supra dictis liquet, E. & prius. Ultimum vero suppositum certe experimentis non respondet, cinnabarim antimonii esse naturæ alcalinæ, cum minime affectiones & attributa alcalini salis tam essentialia quam accidentalia possideat & exserat. Etsi enim forsitan ab acido corrosivo affuso strepitum effervescentiæ edat: minime tamen ob id alcali dicenda est, cum idem effectus etiam ab aliis corporibus metallicis & mineralibus subsequatur, quæ tamen neque alcalinæ neque acidæ sunt naturæ, sed solumodo ille motus procedit ab attenuatione, intima divisione, discontinuatione corpusculorum solidorum & hinc subsequente receptione in poros fluidi. Sed mitto speculationes tales theoreticas medicas. Neque enim tales, quarum ingens farrago est, huc referre ad scopum nostrum quadrabit.

Alterum superstitionis genus, quod hic observare licet, est varia illa inutilis cinnabaris ant. vexatio & in Q. E. cinnab. panaceas, arcana, cinnabarim solarem mutila & manca transmutatio, quæ operosæ perquisitiones nil aliud præstant, quam ut sumptus laboresque deperdantur, cinnabaris sua virtute exuatur, & boni experimentatores naso suspendantur adunco. Risit jam dudum hos conatus, imo valde detestatus est Celeb. D. Ludovicus.

cus. Si enim inquit post diuturnam assationem aut Spirituum cohobia (uti illud fit in panac. Anvvaldina, quæ per crebriorem spir. vitrioli & spir. vini c. cinnabari ant. incorporationem & exsiccationem perficitur) aliquid præstatur, id usitatiorum aliorum diaphoreticorum effectu haud est superius. Id quod vel maxime in prædicta panacea observare licet, cui an spiritus vitrioli eundem titulum jure imponat nescio. Quid vero pulvisculus ille ex cinnabari nat. per edulcorationem cum aqua & exsiccationem cum alcohol vini superaccenso, panacea Mœtsii dictus, quid inquam hic præstantius in malignis ipsaque peste præ fonte suo, unde dimanavit, foveat, nihil demonstrat. Certum equidem est, cinnabarina, uti & alia metallica Medicamenta, quo magis sint triturata & in subtiliorem pollinem redacta, eo expeditiorem in lymphæ coagulo incidendo, sanguinem crassum, viscidum, quasi congrumatum, resolvendo, obstructionibus reserandis &c. edere, atque ita optatiorem effectum nancisci. Contra vero si hæc ἐγχείρησις pharmaceutica in trituratione negligatur & grosso saltim modo cinnabaris cominuatur: tum non solum tardior succedit operatio, sed non raro omnis cum fœcibus, quas rubicundo tingit colore, excernitur. Quanquam itaque cominutio accuratior ad facilitandam & promovendam operationem aliquid tribuat, minime tamen ideo medicamentum in panaceam convertit.

Tincturæ vero *volatiles* cinnabaris, seu ejus quintæ essentiæ cum oleo aliquo aromatico, sale alcalino, spiritu ardente extractæ aut alio anomalo modo paratæ, quæ etiam vina vitæ, essentiæ solares, spirituales &c. appellantur, quid aliud sunt, quam tincturæ antimoniales sulphureæ? ut taceam infinitas earundem vires in prolongatione vitæ, omnis nocivi e corporis sphæra expulsione, instauratione præsentissima virium plane emortuarum, imo vitæ ipsius & partialis & totalis evanescentis revocatione &c. & quæ aliæ laudes imensæ sunt, quæ tamen nil nisi ostentationes auctoris indicant.

Pari ratione *balsamum* illud cinnabarinum in pectoris affectibus specificum ex eadem cinnabari ant. mediantibus oleis aromaticis anisi, menthæ, cort. citri, thereb. &c. dissoluto prius vinculo, quod cinnabarim ant. mercurio alligabat, per aliquod alcali, extractum nihil aliud nobis offert, quam est bals. antimonii, quod ex tincturæ antimonii sicca seu sale illo nitroso sulphurato, quod e scoriis reg. ant. c. oleis notissima ἐγχείρησι elicitur, & non exigni usus tum interni tum externi est, demulcentis, detergentis, consolidantis &c. Imo etiam an non utrique huic balsamo comune illud sulphuris balsamum vel æquiparandum vel præferendum sit, experimentator haud difficulter deprehendet. Quare consultum mihi esse videtur, non ita prodigum esse cinnabaris antimonii, in comodiores usus trahendæ, sed eidem, ut multo labore, industria, sumptibus acquisitæ, paulum parce-

 re,

re, cum alia multo faciliore & comodiore via idem illud, quod quærimus, consequi possimus.

Æthiops mineralis a colore ita dictus magnam quoque in admirationem rapuit Chymiatros, ut minime & hic etiam defuerint, hoc inventum superlativis pro more viribus & facultatibus coronare. Inventionis laus nescio an solertiæ scientiæque Chymicorum debeatur, an potius amanuensium incuriæ. Hi enim forsitan mala fortuna cinnabarim vulg. factitantes & vulcani vim intendentes ipsam cinnabarim combustione deperdiderunt, & tali forte fato magnam illam panaceam impetrarunt. Ecquid enim aliud est ipse ille æthiops, quam cinnabaris eam dictam μεταμόρφοσιν passa per incautam tractationem? Quis non videt, ejus vires â cinnabari com. non modo æquari sed plane superari, cum ibidem portio sulphurea omnis fere sub vi ignis exhalarit & evolarit, quæ tamen ramositate sua globulos mercuriales involvendo medicamentum illud tutum multarumque virium constituit. Vires præstantiores hunc æthiopem habere, quam omnia mercurialia remedia, Barkh. in pharm. Synopt. tribuit. Ast qua ex ratione qua experientia. Nulla. Tacet.

Sed ne terminum excedam, & nimius esse videar in examine mercurialium, cetera medicamina panaceasque mercuriales, præteribo. Prudens enim Chymiater, qui nullis, vel auctoritatis, vel speculationum imaginariarum fictarum, vel aliis præ conceptis opinionibus obrutus est, facile quicquid vel in bonam vel in malam partem de iis judicandum sit, perspiciet. Sufficiet coronidis loco hisce addere jam sæpius B. Ludovici sententiam, quam in pharm. sua de mercurialibus in universum ferebat. Ita enim inquit, mercurius vel præcipitatus vel fixatus vel quocunque modo præparatus bonum quidem est remedium diaphoreticum resolvens, mundificans, nec tamen protinus universale. Sane enim multos morbos ne attingit. Verba pauca sunt, sed quæ ad scopum nostrum quadrant.

Nunc ad alteram mineralium speciem, nimirum *antimonium* accedamus, ubi pariter, quæ in considerationem nostram pertinere videbuntur, breviter attingemus. Cum itaque antimonii duæ partes constitutivæ sint, nimirum pars regulina, mercurialis-metallica, & altera sulphurea, atque pro diversitate harum partium varii etiam generis prodeant medicamenta: placet hanc differentiam in ordine dicendorum observare, ac primum ea, quæ ê parte regulina producuntur, tum etiam quæ ex sulphurea eliciuntur pharmaca considerare. Sit itaque primo loco pars regulina, quam in varios usus ad aurum vitæ, mercurium philos. medicinam universalem veteres Chymicorum pertraxere. De ipsius reguli amuletica virtute hic nil dicam, neque de iis viribus, quas ab accessione metallorum, quippe

quæ

quæ & ipſa ſpecifica aſtrali virtute imbuta credebant, mutuatur, præſertim cum notiſſimum ſit reg. ipſum antimonii ſolarem, lunarem, martialem vulgo ita dictum, nil plane ejusmodi metallorum in ſeſe continere. (Unde nec ipſa ex hisce regulis producta bezoardica ſolaria lunaria &c. aliquid de iſtis metallis ſortiuntur, fruſtraque pro tantis alexipharmacis venerantur.) De regulo vero Veneris, quem vel nihil plane, vel pauxillum ſaltim cupri in ſe fovere alii exaltatione coloris in auro affirmant, uti & de regulo ſtanni quid ſentientum ſit, ex ſuperioribus peti poſſunt. De hujusmodi inquam regulis nihil hic afferam. Minime tamen prætereundus mihi videtur regulus antimonii medicinalis, qui antea etiam pro magna panacea in acutis æque ac Chronicis venditabatur. Inventio hujus medicamenti debetur forſitan ſolertiæ alchymicorum horumque minus felici experimentorum ſucceſſui, dum, ut auream captarent aviculam, gluten aliquod ἐκ τȣ̃ χύμȣ καὶ ἁλὸς parabant, ut ei ſe involvens, & exinde alas pedeſque extricare neſciens, miſera illa, etiam invito Jove, in aucupum rapidiſſimorum manus rapaces deveniret. Ut vero apertius loquar, illius quidem conſultiſſime pro ſcopo obtinendo tria illa principia metallica, nimirum terreo vitreſcens, φλογιςὸν, & mercuriale ad mixtionem metalli adhibuiſſe videntur. Comiſceabant itaque terram lapideſcentem ſeu vitreſcentem, quæ in alcali ſale abunde hæreat, (forte quia metalla ſublatis ceteris principiis in terram alcalinam quaſi abeant) uti & alterum principium φλογιςὸν, quod auri quaſi ſpecificum in ſulphure antimonii hærere putant, & denique tertium, metalleitatem inducens, mercuriale, quod in terra ſalis com. quærunt. Quare recte pro ſcopo obtinendo comixta videntur cum antimonio ſal com. & ſal alcali, imo & facilius erroris omnis ſeſe expertes judicare poterant propter præſentiam ſimul reguli antimonii, in quo & ſulphureum auri principium & mercuriale ſophicum reſidere judicavere. Cur vero minus voti ſui redditi fuerint compotes: hujus loci non erit diſquirere. Utut autem primaria intentione atque ſpe fruſtratos ſe eſſe viderent, ac propterea non immerito animum abjicerent: erexit tamen iterum illos, dum concretum aliquod elegantis coloris, & præſtantiſſimæ, uti obſervationes indicabant, virtutis ſunt conſecuti. Hanc itaque ob cauſam in magno pretio eundem regulum habebant, neque facile arcanum hoc aliis aperiebant. Unde ante pauca adhuc luſtra in profundo Democriti puteo latuit, & paucis demum annis pharmacopeorum forulos exornare cepit, qui ſibi merito de lucrifero medicamine gratulari, ſed breviter, poterant. Quod ſi vero uſum, vires efficaciamque, quæ à Chymiatris huic regulo adſcribuntur, conſideremus, depræhendemus illum haberi & uſurpari etiam pro medicamine ſummo aperitivo ſudorifero, ſanguinem depurativo inſigniſſimo,

alexipharmaco præſtantiſſimo &c. Unde in ſcorbuto confirmato, lue venerea, gonorrhea virulenta, febribus intermittentibus, obſtructionibus viſcerum diuturnis & inveteratis, morbis malignis, contagioſis &c. vix par remedium præſentiusque alexicacon inveniri poſſe putant, ut jure ſummo panacea dici mereatur. Cauſas aliquas harum aſſertionum ſi inquiramus, eas nec hic quidem ab experientia nec a rationibus chymicis ductas deeſſe reperimus. Rationes qui inferunt, derivant illas tum ab eſſentiali quaſi reguli conſtitutione, configuratione, textura &c. tum etiam ab accidentalibus ſaltim ejusdem configurationibus. Illam maxime largiri regulo ſal com. in quo tanta lateat virtus, ut cum regulo ant. mixtum & liquatum omnem venenoſam virulentiam, emeticam qualitatem, ei poſſit demere. Has vero maxime quærunt in colore ſanguineo, primo quidem chalybeato, poſtea vero, ſi in tenuem pollinem redigatur, purpureo ſive ex rubro bruno. Quoad eſſentialem illam quaſi reguli ant. imutationem (1) quidem non negabitur, ejus vim virulentam admodum eſſe, quod ut & ipſe, & crocus metall. merc. vitæ d. vitrum ant. ſatis teſtantur, quæ ſatis magnas ſpasmodicas & ſæpe lethiferas turbas excitare queant. (2) Largietur etiam aliquam correctionem venenoſæ illius qualitatis accedere ab admixtione ſalis com. minime tamen ſimul aſſeri poterit, reguli ſubſtantiam plane in verti, virulentam vim deſtrui, & in panaceam infinitarum virium transmutari. Inferunt equidem Chymiatri illi, uti modo intelleximus, in ſale com. tantam latere virtutem, quæ illud magnum opus præſtet. Sed quæſo dicas, qualis illa acquanta vis ſit? Si cum Ariſtotele lis eſſet, facile præſcire poſſem reſponſionem. Diceret enim, forſitan eſſe facultatem aliquam, quam non ita accurate & clare concipere ac determinare poſſumus. Idem audimus a noſtratibus Chymiatris, eſſe videlicet ſpecificam talem in ſale c. particularum variis figuris præditarum diſpoſitionem, configurationem, modificationem &c. quam tamen ob rei ſubtilitatem mens non ita aperte percipere poteſt, neque accurate exprimere. Aſt videntur mihi utriusque ſortis Chymici qualitatem hic aliquam occultam offendere nobisque obtrudere. *Το διότι* enim, ſeu cur ſal com. regulum antimonii virulentarum virium in panaceam transmutet, nondum fuit patefactum per illa argumenta, quæ nil niſii aliis verbis theſin exprimebant & petitione principii incedebant. Cum itaque hæc res admodum abſtruſa ſit & argumenta ignotum per æque ignotum tantum probare laborent: Quid conſilii capiendum? Videtur mihi totum hoc negotium ſe non alio modo habere, ac fundamentum operationis & præparationis croci ita dicti metallorum Rulandi. Quemadmodum enim hic loci regulina pars a nitro corroditur, invertitur, ac virulenta vis quadantenus infringitur,

non

non tamen omnino evertitur ac destruitur, uti fit in antimonio varii generis diaphoretico, ob acidi paucitatem atque inopiam, quæ totam reguli texturam dissolvere ac disjicere nequit: ita etiam illud accidit in regulo nostro medicinali, ubi profecto acidum salis com. nil panacealium qualitatum regulo conciliat, sed corrodendo, dissolvendo, imutando ipsi regulo vim illam virulentam quodamodo adimit, neque tamen simul emeticam exuit, ob eandem causam, quam de croco metallorum diximus. Quod vero tam virulenta vomitoria ei non insit vis, uti est in croco metallorum: accidit illud, quia sal com. sulphureum vinculum non ita comburat ac dissolvat, uti nitrum. Ergo videmus, a corrosivo illo acido, quod in sale com. hæret, illam panacealem qualitatem reguli neutiquam provenire posse, imo nec eodem acido vim emeticam virulentiorem penitus posse exstirpari. Quod vero imensa illa virtus sub qualitate occulta in acido salis com. lateat, uti innuunt Chymiatri: per experientiam certe in spir. salis observari posset & deberet. Attamen præter hoc dubium contrariari & illud videtur, quod illud regulinum concretum medicamentosum purum antimoniale sit, & sal com. partim in scoriis remaneat, partim eluatur, & adeo specificam illam efficaciam minime producere possit. Et hæc de prima ratione Chymica, quæ potentiam illam regulo medicinali ab acido salis c. conciliare dicitur. Altera, ut dixi, ab accidente colore potissimum reguli derivatur. Asserunt enim non modo ingens intercedere discrimen inter crocum metallorum & regulum illum medicinalem, quod vel ratione pulcerrimi coloris purpurascentis statim patescat. Ubi tamen valde dubito, colorem illum superficialem effectum quendam Medicum exserere uti croci metall. color brunus causa facultatis emeticæ dicenda non est. Nihilominus tamen color ille de præsentia sulphuris solaris in regulo med. dat indicium, atque adeo ob hanc causam præstantiæ quid in se latentis. Notum enim est, pro quanta panacea sulphur ant. ob solarem indolem celebretur. At vero idem sulphur numne deest croco metallorum? An non simul, quæ hic præsens oblata emetica virulenta vis, laudabilior diaphoretica, aperiens, mundificans &c. est substituta? Minime hoc testatur experientia. Ergo cum sulphur illud & croco Rul. comune sit: minime ab ejus præsentia regulus med. prærogativam tuebitur, multo minus tantam præstantiam. Quæritur itaque, an non ab alcali, præcellentiam sortiatur. Notum autem est, eadem alcalia non modo regulinam substantiam intimius aggredi non posse, sed nil præstare, quam ut fluxilitatem & liquabilitatem promoveant, & sulphureas partes absorbeant, quo eo felicius possit metallica substantia arrodi, & quodamodo noxia qualitas imutari. Quare ex hisce, quæ de rationibus Chymicis adduximus, hoc elicere

cere atque inferre possumus (1) Regulum medicin. panaceam dici non posse. (2) Arsenicalem reguli vim a sale com. non penitus destrui, sed vomitoriam adhuc remanere. (3) Eundum regulum â croco Rul. non nisi gradu, differre, majore scilicet hujus vehementia. (4) Neque specificas vires eum vel a sale, vel â sulphure ant. qui colorem purpureum efficit, vel ab alcali possidere. Imo etiam ex hisce non incomode inferri jamdum poterit, quod ille regulus ut alexipharmacum summum in malignis & panacea etiam in chronicis præsentissima imerito prædicetur. Perspectis itaque paululum rationibus chymicis, restabunt practicæ, quæ primo loco afferri debuissent. Nam nullius momenti illæ erunt speculationes, si experientia reclamet. Non vero desunt ipsis observationes therapevticæ, quibus stabiliri possunt quodamodo ejus usum in Febribus aliisque affectibus. Neque etiam nobis deerunt eadem, multas febres aliosque morbos sublatos per ipsum crocum metall. sive in infuso sive in tartar. emet. adhibitum, generali scilicet operatione emetica. Præponderare tamen illæ observationes nostris videntur ob reguli med. securiorem usum, non solum ob blandum effectum vomitorium, qui tamen raro contingit, sed diaphoreticum & aperitivum. An vero hæc φαινόμενα contingant ab hujus remedii potentia absolute operante, an vero propter individui constitutionem, morbi naturam, medicamenti illegitimam applicationem id fiat dubito, cum & non nunquam, si eædem cautelæ observentur, idem effectus ab aliis vomitoriis blandioribus expectari possit. Dicam tamen quæ mihi suspecta videantur, tam circa usum, tum etiam vires & effectus. 1. Notum est, quam incertissimus plane sit ejusdem effectus, imo ut nunquam tutus quis ac firmus de operatione esse queat, dum nunc vomitum movet, nunc salivationem, nunc sudorem, nunc urinam, nunc alvum &c. 2. Nunquam solum & simpliciter in usum vocandum esse præcipiunt, sed cum opiatis, salibus absterfivis, incidentibus, antispasmoticis, diaphoreticis, bezoardicis aliisque comixtum: Unde non nihil clarum esse potest duo talia contrariæ sæpe operationis medicamenta comaritata medium quendam effectum edere, cum unum alterius vim infringat, uti illud in panaceis Starckiana, Wildegansiana & aliis, ubi opium purgantem hellebori vim infringens, & simul suam sopientem virtutem obtundens transit in medium lene diaphoreticum. Mirari vero minime debemus, effectum interdum diaphoreticum salivantem ejus usum insequi. 3. Ast tamen illud observatione constat, si in sensibilioris habitus corporis hominibus adhibeatur, imo etiam in illis, qui prima vice utuntur, & in largiore dosi, ibi sæpissime nauseam, imo vomitus actuales, anxietates, inquietudines, dolores gravativos, lassitudines &c. conciliare. 4. Quæ denique de virtutibus alexipharmacis in

ma-

malignis præſentiſſimis adferunt: ſane imaginaria ſunt. Certe enim qui vires & efficaciam alexipharmacorum novit & per experientiam compertas habet: ille non modo reguli hujus, ſed omnium aliorum bezoardicorum, quæ e regno minerali petuntur, uſu ſine ullo incomodo carebit. Quare ex hiſce omnibus perſpicere licet, fruſtraneas plane illas eſſe laudes, quibus hanc panaceam coronare ſatagunt, quæque ex nulla alia re, quam ſuperſtitioſa admiratione in inventione medicamenti hujus pronata eſt.

Maximis quoque laudibus evectum eſſe videmus *ſpecificum ſtomachicum Poterii.* Multi certe, qui illud in auctoris ſcriptis non adeo clare depræhenderent & cum ipſo Poterio periiſſe exiſtimarent, maximis doloribus obruti ſunt, qui ſpecifico admirandæ efficaciæ, exoptatiſſimo & laudatiſſimo morborum alexicaco, uti id appellant, imo Medicina vera univerſ. deſtitutos ſe eſſe putarunt. Inſtituunt autem hujus præparationem in reguli jovialis varia depuratione, per ſalis alicujus hyeroglyphici, quod agros fœcundet, arbores fructificet, ſeu homogenei, ſeu etiam aquæ hermaphroditicæ ſiccæ præparationem, per ſolis in oleo ant. ſolutionem, coctionem, & ſuccedentem hinc vitrificationem, & quæ aliæ ambages ſunt, quibus veluti ſub involucris arcanum abſcondunt. Conabatur hanc præparationem, ut obſcuram non nihil, clariorem reddere Etnerus prædictus, qui l. c. id medicamentum confici aſſerit reguli antimonii ſolaris pulveriſatione, ablutione, exſiccatione & ſublimatione in flores rubicundos, quintam eſſentiam ſalis in ſe continentes & horum denique cum triplo nitri, quod ſal illud homogeneum hyeroglyphicum eſt, ſæpius iterata calcinatione. Hæc eſt præparatio magnæ illius panaceæ, quæ antehac non niſi ſumis difficultatibus, precibus, rationibus moralibus comunicabatur. Enormiſſime vero in concepta ſpe decipiebantur, cum tandem nil aliud ſunt conſecuti, quam ſimplex ant. diaph. quod jam dudum antea poſſidebant. Neque enim ab acceſſione auri, quod magnam, potentia ſcilicet, panaceam credebant, quicquam boni & medicamentoſi accipere poterant, cum regulus ant. intimius connubium auri plane reſpuat, quod aurifabris etiam aurum a ſcoriis mediante antimonio depurantibus, & aliis docimaſiam metallicam exercentibus, notum eſt. Quare aurum illa quidem ratione, quam propoſuerunt, cum antimonio non comiſceri, neque cum eodem regulus in pulverem redigi & cum ſale am. ſublimari eadem ratione poteſt in flores rubicundos, ſed adſcendunt ſolumodo ſimplices antimonii flores. Multo vero minus idem poſtea aurum, prout Chymia Phyſica docet, ab nitro corrodi & in calcem verti poteſt, cum potius illud homogeneum ſal, uti pariter ex docimaſticis notum eſt, aurum, quemadmodum & argentum, magis purificet, & ab aliis metallicis recrementis liberet. Videmus itaque

ſub ſpecioſo illo ſpecifici titulo panacearum Poterianarum magni æſtimatores nil aliud quam uſitatiſſimum illud ant. diaph. eſſe adeptos, qui ardentiſſimo illo deſiderio & indefeſſo ſtudio illa, quæ omnibus notiſſima erant, quæſivere. Quomodo vero ſtomachici titulo iſtud arcanum inſigniverint: nulla pariter ratio edocet, niſi forte latius extendere velis ſtomachicorum munus, ut etiam non incom̃ode purgantia, vomitoria, &c. talia ſtomachica ſint nominanda, quæ remote & per accidens finem illum aſſequantur. Ita etiam ſtomachicum hoc operari videtur, dum blandam diaphoreſin inducit, motum ſang. promovet atque ita accidentarie calorem ventriculi auget & digeſtionem ita facilitat. An vero ideo ſpecificum in ſtomachicis affectibus tantumque arcanum dicendum ſit, hæc adducta minime affirmabunt. Nam profecto plura dantur pharmaca, quæ & humores vitioſos in ventriculo ſtabulantes egregie corrigunt, & tonum viſceris illius atque robur confortant, & menſtruum ſimul coquendorum ac digerendorum acuant, atque majore longe virtute ſtomachici officium exſeqvuntur: minime tamen propterea pro tanto arcano coluntur & ſpecificum etiam ſalutantur. Hanc enim de ſpecifica efficacia ſuperſtitionem facile ille ridebit, qui ſpecificorum genuinorum vires, effectus & operationes non ignorat, eaſque curioſe ac ſollicite obſervare ſtudet.

Ejusdem omnino cum hoc ſpecifico ſortis eſt *bezoardicum minerale* ex butyro ant. abſtractione ſpir. nitri paratum, quod Helmontius jamdum pro magnorum morborum alexicaco exclamavit in hydrope, lue venerea, morbis contagioſis &c. præſentiſſimo. Nec poſteri hujus veſtigia deſerunt, ſed multa induſtria premunt. Non tantum enim ut magnum ſudoriferum incidens deobſtruens &c. laudant; ſed genuinum & verum alexipharmacum, quod cum nomine omen etiam in malignis petechialibus &c. morbis potentiſſime tueatur. Quod ſi vero talia experientiæ reſponderent; neutiquam certe contrariari quicquam poſſet, ſed potius ut magno invento & impetrato alexipharmaco lætandum eſſet. Sed falli hic expectationem medentium, accuratiores & attentiores Practici edocent, & inſtar horum omnium eſſe poterit præcellentiſſimus Chymicus Ludovicus qui neutiquam appellatione iſta dignum eſſe judicat, nec im̃erito. Neque enim ulla notabilis differentia ab ipſo antimonio diaph. in Therapevtica obſervatur, neque etiam Chymico Pharmacevtica fundamentalis eadem intercedit. Impugnant hoc maxime noſtrates Chymici, qui antimonium diaph. magis iners & partibus activis orbatum pronunciant, non item bez. min. quod activioris, præſentioris & præſtantioris ſit efficaciæ. Probant hæc tum à priori, tum à poſteriori. A priori, quia regulus penetrantiſſimæ qualitatis a nitro, in igne in alcali verſo, in calcem vertatur inertem,

quod

quod fit in ant. diaph. At vero in bezoardico aqua regis per ſpir. nitri in calcem quidem tranſit, ſed longe activiorem, quia ſpicula illa ſalina non omnia elui poſſunt, ſed intimius c. ſubſtantia regulina connexa naturam induunt ſumme activam. A poſteriori vero illud probant doſi utriuſque medicamenti. Illud enim aſſerunt, ſcilicet ant. diaph. ad dr. 1. adhiberi debere, ſi felicem effectum ab ejus uſu ſperare velis, hoc vero bezoardicum etiam ad ſc. S. ſufficere, largeque vires ſuas præſtare. Utrumque vero hoc argumentum non id, de quo dubitabatur, confirmat, ſed æqualitatem ſolumodo virium ant. diaph. & bezoard. min. tollit, & hoc præſentioris efficaciæ, quam illud eſſe, docet. Equidem placet rationi illæ à priore deſumtæ hæc apponere 1. Negatur, nitrum in præparationem antimonii diaph. in alcali verti, quod & regulinam ſubſtantiam imutet, & inertem reddat. 2. Acidum nitri regulum ant. ita corrodere & invertere, non vero alcali, conſtat ex Chymiæ fundamentis. 3. Nec diverſum acidum eſt in bez. min. ab illo, quod eſt in antimonio diaph. acidum enim nitri a conſortio alcalini ſalis abſtractum non plus hic loci præſtat, quam in concreto ſuo adhuc exiſtens, ob vim φλογιςῆ, quod in utroque calcinationem efficit potiſſimum. 4. Nec patet, bezoardicum min. ſpicularum acidarum plus retinere quam antimonium diaph. 5. Nec denique ab iſtis ſpiculis qualitas bezoardica eſt derivanda. Cur enim poſtea largius adjectum acidum non tale præſtat? 6. Si plus acidi ineſt bezoardico min. quam diaph. antim. debebit notari diſcrimen aliquod in efferveſcentiis c. acido. Atqui nulla &c. E. Ad poſterius vero argumentum illa ſaltim regero 1. Negatur antimonium diaph. ſi rite præparatum ſit & legitime adhibeatur, ad dr. S. & 1. effectum aliquem diaph. edere, ſed in ſcr. S. & 1. datum æque ſufficere. 2. Bez. ſemper ad ſcr. S. datum laudabiles vires exſerere diapnoicas. Ubi enim vel ob ſubjecti diverſitatem, vel temporis rationem, vel aliarum circumſtantiarum quaſi contrarietatem ant. diaph. in larga doſi nil proficit, ibi nec bez. min. efficacius erit, etiamſi in eadem doſi adhibeatur. Maxime hoc obſervamus in febribus aliisque morbis acutis, ubi ſæpe incomodo plane tempore, contrariante naturæ intentione, largam diaphoretici quantitatem exhiberi videmus, ſine ullo ſudorifero effectu, quem nec regimen ſimul calidum imperatum elicere poteſt. Sed potius pori cutis arctius conſtipantur, æſtus internus intenſiſſimus fit cum anxietate præcordiorum, dolore capitis, imo etiam delirio & aliis ſymptomatibus. Aſt vero ſi temporis punctum legitime obſervetur, tum & pauciſſimum diaph. pulverem in juſto regimine obſervato felicius operatur. Et denique 4. ambigua res eſt, contradictionem aliquam involvens, nimirum acidum præſertim vini diaphoreſin intendere & augere, cum potius acida incraſ-

ſando, inſpiſſando & coagulando ſanguinem iſti fini plane contraria ſint. Unde ſæpius obſervatur, acida ſaltim extrinſecus applicata ſudorem ſupprimere, & verſus interiora repellere, id quod ab epithematis talismodi uſu paucis abhinc diebus annotavi eveniſſe. Quare ex hiſce videmus, bez. min. paucum aut nihil ab antim. diaph. differre, multo minus vires promiſſas alexipharmacas edere. Eadem ratio eſt *ceruſſæ antimonii.* Etſi enim multi eam ſudoriferum magnum, bezoardici min. vires exſuperans, pronuncient, quodque venenis & peſti adverſetur: nihil tamen prout & pharmacopœorum famuli norunt, ab ipſo antimonio diaph. differt aut præſtat, ut abſurdum illud comentum de virtute antipeſtilentiali hic non repetam. Nec ab hiſce recedit pulvis ille albicans, qui nonullis *nix antim.* aliis materia perlata Crygeri dicitur, & ex aqua edulcorativa antimonii diaph. ſeu ceruſſæ ant. c. urina præcipitatur. Sumum hoc Medicamentum dicit eſſe D. Junkenius in malignis, maxime ſi urina præcipitatum fuerit. Sed certe magnum damnum nobismet ipſis inferimus, dum ita affuſione urinæ ſal illud nitroſo vitriolicum ſeu ſulphureum egregium abſtergens, incidens, digeſtivum &c. invertitur. Pariter *ſulphur ant. nitro fixatum,* utut idem D. Junckenius univerſalem Medicinam nominet, nil aliud eſt, quam regulinæ particulæ, quæ adhuc in ſulphure ant. hærebant, ab acido nitri in diaph. pulverem converſæ, atque adeo hoc nulla ratione ab ipſo comuni antimonio diaph. differt. Ita etiam exacte cum eodem ant. diaph. convenit *mercurius vitæ c. nitro fixatus,* & ne hilum quidem ab illo recedit, uti primo intuitu ſtatim cuivis pateſcere poteſt. Quocirca depræhendimus aperte, in quam vanas opiniones abrepti fuerint Chymiatri, ut ea, quæ conveniunt, diverſis qualitatibus ornare, diverſis doſibus in formulas conjicere collective quidem, tanta cura inquirerent.

Sed ſufficiant hæc de pharmacis antimonialibus diaphoreticis, quæ ex parte antimonii regulina producuntur. Examinemus nunc etiam paucis illa, quæ alteri antimonii principio originem ſuum debent. Notum autem eſt, veteres Chymicorum, imo & recentiores, maximas vires, ſumam Medicinam, imo omnium metallorum quintam eſſentiam in *ſulphure antimonii* quæſiviſſe. Cauſa, quæ ipſos adduxit, hæc potiſſimum erat, quia magnam cognationem cum auro alat, quod patet, quia & colorem rubicundo flaveſcentem habeat, auro colorem ſplendidum conciliet, & a ſordibus aliorum metallorum & mineralium depuret. Ubi quidem præter ea, quæ ſupra de parte auri inflamabili diximus, notari poteſt, aurum crudius & obſcurius cum antimonio fuſum repurgari & colorem nitidum recuperare non ob analogiam ſulphurum, ſed quoniam reliquæ ſcoriæ & metalla per an-

antimonium abſorbentur, in calcem vertuntur, ut deinde aurum, ab horum connubio liberatum & ab antimonii conſortio etiam ſecedens, ad fundum propter ſuam gravitatem ſpecificam ſecedere queat. Illud maxime illuſtrari poteſt depuratione argenti a ſtanno per nitrum, auri a venere per ſulphur &c. Sed ut rem potius noſtram agamus, magnam inquam panaceam & arcanum veteres Chymici in ſulphure antimonii ob dictam cum auri cognationem hærere exiſtimabant: prout multa de talibus pharmacis promittunt Baſil. Valent. Theophraſt. Paracelſus, Helmont. Monte Snyd. Philal. &c. Inſiſtunt horum veſtigiis multi etiam recentiorum. Sed ſi omnes iſtas *panaceas auratas antimonii, ens ant. Primum ens auri Claub. tinct. ant. ſolares, balſ. ant.* & alias infinitas ejusmodi medicinas univerſales perpendamus: reperiemus, eas fere omnes in uno convenire, nec ab ipſo com. ſulphure ant. in ratione vel Chymica vel Medica abludere, modo ipſis panacealis appenſa hyperbole dematur.

Equidem haud inficior *ſulphur ant.* bene paratum vel abſtractione aceti, vel alia correctione, quo nauſea, anxietateſque comunem uſum utpl. inſequentes avertantur, & cum judicio debita continuatione adhibitum in cachexiis & aliis chronicis affectibus aperitivum & reſolvens non contemnendum evadere: quis tamen ideo dicet panaceam? Ita certe *panacea ſolaris ant.* ſive ens primum auri Claub. cum liquore alcaheſt confectum, nihil aliud eſt, quam ſulphur ant. ſimpliciter cum nitro fixo ab antimonii regulo ſejunctum & acido aliquo vel tartari vel aceti vel vitrioli &c. præcipitatum. Attamen notum eſt, pro quando arcano venditatum fuerit in paralyſi, podagra, hydrope, lue venerea, febribus, omnibuſque morbis chronicis. Ejusdem prorſus ſortis eſt *panaceæ* famoſæ *Hartmanni, Conerdingii &c.* quippe quæ licet ſpiritu ſulphuris aut alio acido correctæ videantur, minime tamen ab antimonii ſulphure com. rite parato recedunt, neque tanta ſunt arcana in lepra, ſcorbuto, lue ven. &c. uti exiſtimantur. Similis furfuris eſt pulvis mirabilis dictus, ſ. ſulphur antimonii tertiæ præcipitationis, qui nuperrime iterum celebritatem reducere cepit, ob univerſalem per omnia evacuatoria depurandi efficaciam, cui poſtea eo comodius aſtrum ſalis pro roborando archeo ſubſtitui & ita omnium morborum medela tuto feliciter ac jucunde abſolvi poſſit. Promiſſa jucunda, ſi ſucceſſus reſponderet. Aſtrum ſolis erat eſſentia granorum Kermes; aſtrum lunæ ſpiritus urinoſus ambratus. Videmus qualia ſint in præmiſſis, eadem fore in ſucceſſibus. Eadem etiam, quæ in ſulphuribus ant. videmus, depræhendimus in *tincturis antim.* quarum magnus numerus eſt, non diverſitatem virium oſtendentium, ſed varietate ſolum

delectantium, cum omnes non ſpecie, ſed numero ſaltem differre videantur. Ita profecto quinta illa eſſentia ant. ex fl. ant. c. ſale am. ex Scor. ant. ſublimatis, c. ſpir. vini extracta an aliud quidpiam præter antimonii tincturam comunem continet? Nihilominus hoc arcanum in maximo pretio a Baſil. Valentino, Hartmanno &c. habebatur, ob plurimum ejus & maximum & in Medicina & in Chymicis uſum. In Medicis panaceæ uſum ipſi tribuunt, quæ inſenſibiliter morbos omnes incurabiles tollat, quæque præcipue peſtis, paralyſis, melancholiæ, hypochondriacæ, omnium febrium, remedium ſpecificum ſit. Næniæ ſunt, jamdum exploſæ ſatis. In Chymicis uſum ejus exoptatiſſimum eſſe aſſerebant in lapide Philoſ. ulterius præparando. Utrumque vero hunc aſſignatum uſum hyperbolicum vanum admodum & inanem eſſe, quilibet facile perſpiciet. Pariter *tinct. metall.* tantis laudibus ad cœlos ſublatam eſſe quis non videt? In confortando viſcerum tono, obſtructionibus pertinaciſſimis viſcerum reſerandis, ſcorbuto confirmato, lue ven. breviter curandis vix præſtantiorem ſub cœlo medicinam dari ſibi perſuadebant. Neque id ob vires ſulphuris ant. ſed maxime ob metallorum accedentium & regulum ant. ingredientium tantos effectus deducebant. Notum autem eſt, adjecta illa metalla cum regulina ſubſtantia per fuſionem plane non comiſceri ſed in ſcoriis remanare. Unde ſal illud ſulphureum, quod in regulo ant. cum nitro fuſoria depuratione acquirimus, non ſulphur metallorum, ſed antimonii ſolumodo, quale in regulina parte adhuc hærebat, fœtum eſt atque refertum. Unde rectiſſime hodie plurimi metalla prædicta ex commixtione cum reguli plane, ut rem inutilem nec neceſſariam, excludunt, ſalque illud ſuccinei coloris & conſiſtentiæ (quod etiam D. Junckenius in Chym. pro magna panacea venditat, quia pulvis tenuis leniter emeticus, Ramoneur dictus, exinde elutriari poteſt) è regulo ſimplici parant. Ex quo poſtea ſale mediante ſpir. vini bonam quidem tincturam alcalinam inſtar tincturæ tartari, eamque non inefficacem conſequimur, nequaquam vero illam ſuperlativarum virium, de qua modo diximus. Alia eſt *panacea* cœleſtis, quæ ex *vitro ant.* à quo ſpiritus veneris poſt digeſtionem abſtractus eſt, cum ſpir. vini extrahitur, quam in depuratione ſanguinis, lepra, cancro, lue venerea, contracturis, apoplexia, hydrope, epilepſia, peſte pro ſuma medicina habebant. Imo Williſius de M. convulſivis cœleſte remedium eam ad longævam vitam conſequendam pronunciat, ſi vere & autumno paucæ de ea guttulæ aſſumantur. Aſt vero magnam differentiam huic & vulgari tincturæ intercedere vix mihi perſuadeo, cum ſpiritus veneris tantam alterationem & acceſſionem virium non poſſit præſtare, licet non ita alcalinæ naturæ uti priores ſit. Neque deſunt

ſu-

ſuperlativæ illæ laudes in *balſamis ant. variis*, quæ pariter graviſſimorum morborum alexicaca ſalutantur. Ita nota ſunt, balſamum ant. comune panacea Hartmanni, Baſil. Valent. ex ſulphure ant. cum oleis aromaticis, extracta, uti & Clauberi balſamum ex antimonio c. ſale ſuo mirabili fuſo, c. ol. ſuccini extractum. &c. Quæ vero, uti & aliæ plures deſcriptiones a vulgari methodo, talia balſama conficiendi, quoad præparationum fundamentum minime differunt, ſed in eo omnes conveniunt, ut ſulphureæ ant. partes a ſale, vel alcalino, vel medio evolvantur, recludanturque prius, ut poſtea eo facilius menſtruum oleoſum aromaticum, vel aliud expreſſi olei particulas ſulphureas abſorbere, imbibere & in poros recipere queat. Idcirco ſcorias reguli antimonii c. aqua vel ſimplici, vel calcis vivæ coqvunt, filtrant & inſpiſſant ad ſiccitatem. Remanenti poſtea ſali antimoniali coloris ſubflavi, quod etiam tinctura antimonii ſicca nominatur, affundunt ol. amygd. tereb. junip. item olea aromatica, nec non menthæ, aniſi vel alia ejusdem generis, atque ita prævia digeſtione accipiunt balſamum aliquod antimonii. De omnibus vero hiſce balſamorum generibus magna illa præter alias imaginaria opinio notanda eſt circa eorundem uſum Chirurgicum, quem neſcio in quem cœlum efferre ſolent ob vires ſumas in ulceribus inveteratis fœtidis mundificandis & conſolidandis conſpicuas, ſive interne ſive externe, ſive utroque, quod præſtet, modo adhibeantur. Aſt vero interne, dum loco florum ſulphuris adhibentur, parum ad ſang. lymphæque mundificationem præſtant, ut hyperbolicas illas vires multis paraſangis antecedat uſus vegetabilium mundificantium & ulcus purgantium; uti ſunt rad. helen. ari, pimpin. alb. bardan. vincet: L. ſaſſafr. Sant. citr. quajac. H. ſcord. chæreſ. beccabungæ, ſaniculæ, pyrolæ, cent. m. milleſ. & alia plura, quæ Paracelſus tr. von den Spitahl-Kranckheiten recenſet. Externe vero in conſolidatione partium exſanguium aliquid præſtare videntur, ubi ſubtiliſſimas ulcerationes glandoſarum partium demulcent. Attamen efficaciam eorum balſamicam hic facile, ſi non exſuperat, exæquat certe balſamicorum comunium uſus ol. tereb. ol. vitell. ovorum & aliorum oleorum temperatiorum balſamicorum noſtratium & peregrinorum. Taceo quod abſtinere ab ejusmodi oleoſis præcellentius ſit remedium in plurimis caſibus, quam iis unguinoſis & æſtuoſis ſimul ardores & ulcerationes fœtidas augere. In illis enim partibus, quæ diverſæ ſunt conſiſtentiæ, ut ſanguiferis, oſſeis, tendinoſis, vel nihil ad mundificationem & conſolidationem conferunt, vel detrimenta magis conciliant, uti eorum uſus in apoſtematibus & ulceribus ſimplicibus declarat, quibus inquinationes dyſepuloticas inducunt, dum partes ſubtiliores aufferunt humorum, reliquos vero inſpiſſant & tumorem ulceroſum magis indurant.

Ubi utique in talibus casibus magnæ illæ panaceæ balsamicæ c. myrrhatis & succinatis vulgaribus remediis ne quidem comparandæ sunt.

Aggredior nunc aliud mineralium genus, & quidem *arsenicum*, ubi brevibus illam solum superstitionem, eamque summe nefandam atque horrendam, circa usum ejusdem contra febres intermittentes, maxime vero tertianam, veluti specificum in castris adhuc pro celeri morbi cura usitatum, notabo. Ubi equidem duo gravissima vitia sceleratorum ejusmodi nostri temporis Anchiatrorum quorundam detestanda, execranda & perstringenda veniunt, nimirum horrenda illa temeritas & crassissima rerum medicarum ignorantia. Execranda certe pestiferorum illorum hominum temeritas est veneno illo, omnibus aliis gravissimo, motiones febriles tertianas, in bonum finem ad vitiosos humores e corpore eliminandos a natura institutos, nec unquam per se in vitæ discrimen ducentes, supprimere velle. Unde semper ex tali temerario conatu & nefando usu sævissima symptomata inseqvuntur, enormes angustiæ, angores, anxietates, vertigines, mentis turbationes, syncopticæ cardialgiæ, convulsivæ totius corporis concussiones, convulsivi repentini raptus artuum, suspiria lamentabilia, luctuosa, profundissima, sudor copiosissimus gelidus, aspectus metuendus & horrendus, & denique mors, post quem cadaver nigrum fœtidum mox apparet, & membrum virile turgidum & penitus nigrum. Qui vero naturæ bonitate ex tali tragœdia evadunt, illi, nisi errorem hunc postea vel revocatione febris, vel accuratiore vitæ genere & remediorum aptiorum usu emendant, obstructiones viscerum pertinacissimas, febrem lentam, hecticam, acutam, inflamatoriam, tabem mortiferam, paralysin, hydropem &c. sibi accersunt. Ex quibus profecto perspicere possumus, quanta temeritas hæc sit carnificum & homicidarum, qui omni conscientia & scientia exuti, neglecto hominis, ne dicam Christiani, officio, ita scelerate in miseri proximi, qui omnem restitutionis fiduciam in illo pessimo anchiatro collocat, viscera sæviunt. Alterum vitium vero crassissimam eorum in arte Medica ignorantiam atque stupiditatem nescio an rideam, an vero doleam. Vident nonnunquam, imo sæpe, licet cum gravissimis symptomatibus imo vitæ periculo illud fiat, febriles motus uno quasi ictu supprimi. Quomodo vero talia accidant, quæ causa sit Physico Medica, illi albæ mentis homines neque pervestigari possunt, neque cogitatione id assequi valent. Certum enim est atque prorsus clarum, non illud ob occultam aut specificam arsenici qualitatem evenire, uti arbitrantur, sed causam plane manifestam illius phænomeni esse. Natura enim humana in id unice tempore paroxysmi intenta est, ut materia vitiosa, in primis viis contenta, corrigatur, secernatur & comode evacuetur. Quare congestiones humorum

co-

copiosiores ad has partes procurantur, (id quod constrictio totius externi habitus, corporis aspectus macilentus, tensio artuum, frigus &c. indicant.) Serum copiosius separatur, quod attenuet, deliquescat materiam viscidam, tenacem, lentam, & ad motum disponat. Quod si feliciter primo statim paroxysmo tale institutum succedat, tum finito eodem vomitum vel etiam postea diarrhœam contingere videmus, cum ipsius sæpe febris solutione, aut mitigatione ad minimum. Cum vero hæc ita in corpore humano vivo geruntur, cum tales motiones ad materiam peccantem excernendam perficiuntur: tum certe aliter fieri non potest, si talis arsenicalis panacea ingeratur, istum motum aut plane supprimi, aut ad tempus sisti, aut diverti. Binis enim istis nocivis materiis natura uno tempore, uno eodem modo, invigilare nequit. Quare, ut istud munus, quod non ita grave & exitiale est, dimittat, necessitas moralis suadet. Certe enim, nisi natura huic sontico & exitiali veneno succumbere velit, necesse est, ut ceterorum actionum mitiorum quasi obliviscatur, & ad hoc malum evertendum omnes vires intendat. Id quod ex causa morali fieri debet, quia arsenici venenum multo nocivius est quam materia febrilis, quæ placide sine turbis excerni potest. Fit igitur ita, quod a posteriori maxime patet. A priori vero illud ita fieri, prout disseruimus, testatur usus in fundamento rei similis Chinæ Chinæ, opiatorum, animi affectuum, sollicitudinum, oblivionis, terroris, doloris &c. Ubi utique motiones tales in consuetudinem adactæ & conversæ alio contrario motu per illa quasi specifica sedantur & opprimuntur. Patet itaque non modo τὸ ὅτι, sed etiam τὸ διότι operationis febrifugi illi venenosi. Ut τὸ tale enim venenum febres tollit, morbum vero minime curat, i. e. motiones istas salutares ad materiam vitiosam evertendam supprimit, vitium vero seu causam occasionalem neque corrigit neque excernit. Atqui dices, si nihilominus febris tollatur, etiamsi graviora symptomata comitentur, an inde usus tollatur festinantis medicationis? At ego inquam, si 100. isto medicamento â febre liberentur & ex his aliquot solum fatis cedant, imo unicus saltim, annon homicidii eris reus? Quæ erit tibi conscientia? Nec enim inscius talium effectuum eras. Imo si nullus illico ista panacea enecetur, numne ignoras, in quam pessimi moris catastrophem ipsa febris in sebenigna transitum faciat? Sed prætereo talia incomoda, quæ quemquam bonum virum ab ejus usu abducere valent. Mitto rationes Theologico Morales. Mitto vitæ præsentissimum periculum. Mitto morbos gravissimos, qui ejus usum inseqvuntur. Perpendite modo, carnifices, sæva illa symptomata, quibus præter omnem necessitatem & utilitatem ægros excruciatis. Magnam sane vos dementiam cepisse necesse est, ut morbum placide decurrentem & prudenti tractationi

facillime ἀκινδινῶς cedentem remedio illo, plane morbo graviore aggrediamini. Deteſtatur & rejicit tale conſilium ipſe Hippoc. dum ait: Pharmaca morbo graviora metus eſt propinare. Si enim bene cadant, temeritatis & impudentiæ reus eſt, ſi male eo magis inculpandus medicus. Sine ulla difficultate abigitur febris talis, modo illi medendi methodo, quam natura nobis monſtrat, inſiſtamus, omnisque medicatio juſto tempore & apto regimine applicetur. Neque vero ê contrario in aliud extremum prolabendum eſt, & ad motus immediate & actu ſiſtentia & ſopientia per anodyno-opiata, adſtingentia, chinata, confugiendum: ſed eo allaborandum, ut natura in correctionis ſecretionisque opere tempore paroxyſmi adjuvetur per digeſtiva incidentia vitriolata ſalia, abſorbentia, amara, Gtoſa &c. Atque ita deinde remota cauſa occaſionali eo tutius motiones febriles aſſuefactæ per ſopientia illa, adſtringentia, diverſos motus producentia &c. ſedari & averti queunt. Hac ratione per Dei gratiam curatur morbus non ſupprimitur. Aget ita non modo ex arte ſcientifice, ſed etiam ſecundum conſcientiam medicus. Curatur ſine iſtis turbis, ſine vitæ diſcrimine, ſine mali recrudeſcentis metu, ſine pejorum affectuum proventu. Pendet ejus modo arſenicalis ſævitia ab heroicorum emetico conamine, quo ſine multa therapevtica aut pathologica conſideratione in morbum quemvis irruere libido aut ignavia docuit. Sed temeritatem hanc heroicam non minus, ac inde forte prognatam arſenicalem virulentiam damno, cum ratio & experientia doceat, leniorem & tutiorem viam ſemper prærogativam mereri. Reſtat hic illud Anchiatrum dubium ſolvere, quod ad ſtabilendum arſenici uſum obtrudunt. Exiſtimant minime illa generali, de qua ante diximus, operatione febres tollere, ſed ſpecifica quadam ignota virtute. Quare, ſi ab indole ejus penetrantiſſima deturbetur & arte Chymica fixetur arſenicum: tum pro robuſtis ruſticis antifebrile tolerandum evadere. Tradidere tales præparationes fixatorias & cicuratorias Königius in r. m. ubi & experientiam multam per mortes hauſtam adjecit, & alii multi. At vero facile ex ſuperioribus intelligi poterit, ſi arſenicum fixetur, & vi ſua truculenta omni eximatur; tum certe nullius hic plane eſſe uſus, & ab efficacia febrifuga tantum quidem abeſſe, quantum illi ab omni ſana ſcientia & experientia. Si vero ipſæ fixationes & cicurationes examinentur: neque experientia neque ratio reſpondere depræhenditur. Communiter nitrum pro correctorio arſenici eſſe arbitrantur. Igitur ſimplici ſaltim via id arſenico trituratione & pulveratione admiſcent. Alii fuſionem eligunt. Sed quanti hi ſunt Medici, tanti etiam ſunt Chymici. Quantum enim ſulphuri fixitatis ab alcali accedit, tantum arſenico a nitro. Huc etiam

per-

pertinet usus arsenici in cancro. Cum enim cancrum vivum aliquod animal esse existiment, quod corpus perrependo partes solidas aggrediatur & ulcerosos fœtidos tumores producat: ad hunc enecandum istud venenum quadrare existimavere. Sed quam tristissimo eventu talis medicatio fiat, experientia testatur, ut eam hodie repetere ne stupidus quidem amplius audeat. Ita internæ angustiæ, anxietates, turbulenti spasmodici motus longe ultra solitum increbescunt & facillime ad status febriles gangrænodes, convulsiones catastrophem faciunt. Quare ei & hic effectus prodeunt, qui omnes bonos a tali medicatione merito deterrere possunt. Ex hisce itaque omnibus clarissime patescere arbitror, pessimam sane hanc esse Chymiatrorum superstitionem, quam de utroque dicto arsenici usu fovent. Hæc vero certe ex nulla alia re, quam summa ignorantia geneseos effectuum talium, ortum suum habent, quippe quæ sceleftos illos conatus producit. Inexperientia temeritatem producit dixit Hippocrates. Cum enim indagare vera pigeat, dicit Plinius hist. nat. l. 5. ignorantiæ pudore mentiri non placet. Mendacium & audacia aliquomodo ignorantiam tegunt. Cum itaque & nostri causalitatem istiusmodi effectuum ignorent: istud Hippocratis monitum observent, ubi prorsus ab exercitio medico desistere jubet.

Sed sufficient hæc de stolidissima illa & nequissima superstitione circa usum arsenici adduxisse. Ubi quidem, quia jam longius, quam par est, profectus sum, commode in regni mineralis & medicamentorum ex eo productorum superstitioso abusu finem facere possem. Sed cum ad mineralia vitriola varii generis revocentur: placet occasione eorundem pauca de acidorum usu subjungere & in specie recentiorum circa eadem meticulositatem attingere, quippe qui minime in usum Medicum internum tutum, securum & felicem trahi posse existiment.

Acida pertimescunt Chymiatri ut corrosiva, præsertim qui omnes vitalitatis læsiones ab acido coagulante, uti primaria ac fundamentali omnium morborum causa, deducunt. Et multi, acida propinare, tam virulentum existimabant, quam guttulas mercurii sublimati porrigere hauriendas, quod ex timore superstitioso Chymiatriæ pronatum est, uti priora idola ex amore similis crudæ Chymiæ ædificata. Sane guttulæ acidi alicujus, etiam mineralis, spongiosorum æstum tuto temperant, uti sicciorum temperamentorum ardores cholericos nitrum simplex, usu certe summe polychresto, ac vere panaceali, moderatur, simulque materiam acrem sulphuream obtusam per urinam evacuat. Nil hic metuendum, nisi quando commotiones pectorales subsunt, quas acida in vehe-

mentem tussim, maxime salis communis acidum, exacerbant. Obsoleta fieri cœpit hæc meticulositas, cum alchymici ex acido oleo vitrioli panaceas exstruere iterum suscipiunt, imo jam in officinas publicas tinctura balsamica nitri ex ol. nitri (â nitro per ol. vitrioli abstracto) cum spir. vini dulcificato parata, & rubore tincta abiit, ut aliud quid, quam spir. nitri dulcis in promptu & cultu novo foret. Sed est prosapia superstitionis.

Subsisto vero in his speciminibus superstitionis Chymiatricæ, quæ jam exercitatis nota lubens prima hac vice adduxi, ut in postera pro- & deductione eorum idolorum tanto magis patescat nostræ ætati, in quibus vanis mysteriis sagacitas hominum sæpe immergatur, immoretur & immoriatur, donec vanæ spei lacticinia, & lenocinia experiatur, & ad rei solidæ, non fucatæ, τȣ veri, boni, indagationem & impetrationem aditum apertum depræhendat. Chymiatris evenit, quod Cornel. Agrippa doctis accidere in vanitate scientiarum edocuit, ut per multas ambages, recessus, scopulos, carbunculos perreptantes tandem cognoscant; se fumum & fucum interea tanto nisu captasse, tempus jam esse, ut cum asino in doctam simplicitatem etiam in culina Chymica sese vertat animus, ne vitam brevem in arte longa in umbra aucupanda deperdat, id quod in altera deductionis Chymiatriæ superstitiosæ parte clarius & utilius pro nostro ævo demonstrabitur.

